GK.9
12.0.7

BB
Novarini

~~XVI XXXV~~

NOVA.
1647

12·7·222

ANATOMIA SPIRITVALIS,

IN QVÆ

Homo incruentè in PARTES diductus homini obijcitur, vt INTEGER in Deum feratur, & vtilia ex corporis FORMATIONE, ſinguliſque membris MONITA animæ INFORMANDÆ apta eliciuntur.

OPVS

Quod LEGENDVM *omnibus, omnibus* EXERCENDVM *offerebat*

R. P. D.

ALOYSIVS NOVARINVS
Clericus Regularis.

VERONÆ,
Typis Merulanis. M. DC. XLVII.
Superiorum permiſſu.

2·10

Perilluſtri, & Excell. viro

CHRISTOPHORO MVSELLO

I.V. Doctori,

Eiuſque Germano Fratri

IOANNI FRANCISCO.

Liceat magnum animum exiguo munere repræſentare, & ingentem affectum puſillo dono. Etiam magnus mons anguſto oculi circulo ita coërcetur, vt appareat totus. Victima quælibet eximia fit, ſi eximiam offerentis mentem ſecum ferat. Huc ego ſpectaui, cum hoc opuſculum nomini veſtro in-

ſcriptum iui. Pendite animum, & maius accipietis, quàm accipere exſtimè videamini. Anatomiam exhibeo. Ne reſpuite, tanquam à vobis, veſtroq; munere alienum munus. Non eſt; cum ſit cuiuslibet hanc, quàm hic docemus, anatomiam exercere. Quilibet hic non ſolus aptus, ſed & neceſſarius chirurgus eſt. Nemo melius corpus abſq; vllo doloris ſenſu ſecat, quàm quilibet ſuum. Qui mirari, & efferre ſua homo ſolet, cur ſui corporis fabricam negliget, quæ tàm mira? Scribentis calamum ſequi cuncti debent. Nudos ſpectatores nolo, volo imitatores, in cruenta admittuntur illi, in incruenta requiruntur iſti; chirurgos omnes volo, imò & facio. Interim dum opuſculum accipitis, quod de anatomia agit, in

opuſculum ipſum exercete anatomiam. Secate, & latentem in eo molientis offerentiſq; voluntatem omnium vtilitatem ſpectantem deprehendetis. Foras liber prodeat in obſequium veſtrum, in omnium commodum, vſumq;, nam etiam ab hac parte gratiorem vobis illum futurum conÿcio, ſi vtilior cæteris ſit futurus. In obſequium, inquam, veſtrum, nec enim libri huius oblatione ſoluere vinculum illud volui, quod vos, quod veſtri multorum annorum ſerie tot beneficÿs nexuiſtis. Adhuc in nobis viuunt, viuentq; deinceps, quæ illi qui non viuunt in nos præſtiterint ex veſtra familia, quid præſtetis & vos viuentes. Memoriam omnium ſpondemus, ſolutionem nec cogitamus quidem. Liber iſte, qui vobis offertur,

omnibus teſtabitur, in noſtrorum animorum membrana altè ſcripta beneficia, quibus nos cumulaſtis. Propitium vobis diuinum precamur numen, illorumq́; bonorum copiam, quæ verè ſunt bona, quia habentes bonos faciunt.

Veronæ Nonis Nouemb. 1646.

Perilluſtris Dominationis Veſtræ.

Seruus in Chriſto
addictiſſimus.

D. Aloyſius Nouarinus
Cler. Reg.

LE-

LECTORI.

CHirurgum quoque ago, vt te curem. Ne paueas ad hoc munus. Incruentè id fit, nullum adhibetur ferrum; calamo omnia fiunt, quin vt mitius, & mollius id præſtetur, docemus, qua ratione quiſque in ſe ipſum exercere anatomiam poſsit, abſque eo, quòd aliena vtatur operâ. Mortuorum membra anatomi ſeparant, & diducunt, hîc iſtuc in viuos fit; quin Deo diſcit viuere, qui ita ſecat ſe, vt in Deum feratur, magis vniatur Deo. Angelus cuidam ex Sanctis Patribus hoc dixit: *Fons, & origo omnium bonorum eſt iugiter* SECVM COMMORARI. Ad corpus

id

id liceat porrigere: ſecum commoratur, qui ſe verſat, & à ſui corporis formatione monita elicit, quibus anima informetur. Vide quid præſtet anima dum corpus informat, & quæ pereant abeantque, dum illa abit ab illo. Idem eidem apta dum aptatur corpori, corpus animat, quàm ſalutaria ab hoc nexu enudatur bona, quibus, ſi negligat mens tractare corpus, & anatomiam in illud exercere, deſtituetur. Audi me, mi lector, me ſequere; mente tua membra ad exemplar, quod exhibeo, cura diducere, vt cures te, & in tui corporis ſchola monita diſce, quibus anima inſtruatur. Sed iam operi manum admoueamus, & mentem.

IN-

INDEX CAPITVM,

Quæ Anatomiam Spiritvalem formant.

Cap. I. *AD ſui diſcuſſionem, & anatomiam homo vocatur.* pag. 1

Cap. II. Plures ex ſuo corpore fructus colligere homo poteſt, atque etiam debet. 14

Cap. III. Humani corporis formatio erectaq; forma, ad mentis informationem expenditur. 27

Cap. IV. Corporis, in qua homo naſcitur, nuditas expenditur. 44

Cap. V. Humani corporis magnitudo, membrorumq; harmonia ad mores expenditur. 53

Cap. VI. Corporis forma, ac pulchritudo menti informandæ apta, apta & deformitas. 70

Cap. VII. Ex ſuo corpore, ſuiſq; membris, quàm aptè, ac vtiliter informari homo poſſit. 83

Cap.

Cap.VIII. Alia, eaque vtilia ex membris monita colliguntur. 102
Cap.IX. Anima in homine quid hominem doceat. 124
Cap. X. Quædam alia monita, anima nobis exhibet. 142
Cap. XI. Caro vt homini magiſtra eſſe poſſit. 157
Cap.XII. Alia ex carne monita animæ curandæ, & menti perficiendæ eliciuntur. 170
Cap. XIII. Senſus in homine quid clament; Senſus tactus quid doceat. 180
Cap. XIV. Ex hominis vultu quædam eliciuntur monita. 193
Cap. XV. Capitis forma, & ſitus quid moribus informandis offerat. 206
Cap. XVI. Capilli doctoris vt munus exerceant. 221
Cap. XVII. Oculorum formatio, & ſitus homines vt informet. 238
Cap. XVIII. Oculorum cuſtodia ex oculorum ſtructura. 251
Cap. XIX. Viſus quid doceat. 264

Cap.

Cap. XX. Alia ex oculis monita eruuntur. 280
Cap. XXI. Quæ circa oculum, quænam monita exhibeant. 292
Cap. XXII. Multa cordis auribus excipienda corporis aures offerunt. 302
Cap. XXIII. Naſi anatomia quid doceat. 320
Cap. XXIV. Os hominis quid homini etiam tacens loquatur. 332
Cap. XXV. Dentes, quid doceant. 346
Cap. XXVI. Linguæ locus locum ſalubribus monitis facit. 359
Cap. XXVII. Linguæ motus expenditur, & varia ex lingua eliciũtur. 371
Cap. XXVIII. Linguæ ager vt excolendus, vtilium monitorum fruges excultus exhibeat. 381
Cap. XXIX. Vox quam vocem habeat homini erudiendo. 393
Cap. XXX. Gula quid mentis offerat ſtomacho. 404
Cap. XXXI. Pili qui mentum, & malas veſtiunt, mentem vt informent, & ſalutaribus monitis imbuant. 412

Cap.

Cap. XXXII. *Pectoris forma, & ſitus hominis informationi vt ſeruiat.* 421
Cap. XXXIII. *Manuum fabrica quid hominem doceat.* 431
Cap. XXXIV. *Digiti quid ad noſtram informationem loquantur.* 443
Cap. XXXV. *Cor quid cordi ſculpendum exhibeat.* 456
Cap. XXXVI. *Cor vtilium monitorum penu.* 469
Cap. XXXVII. *Cordis motus quid clamet, ad quid nos inuitet, & moueat.* 482
Cap. XXXVIII. *Venter quid in hominis fabrica loquatur.* 494
Cap. XXXIX. *Latentes pleræque in humano corpore partes quam vocem foras emittant.* 508
Cap. XL. *Pedes vtilia offerunt monita, quibus in Dei obſequio rectè ambulemus.* 524

Finis indicis Capitum.

R. P.

ALOYSII NOVARINI VERONENSIS

Clerici Regularis.

ANATOMIA SPIRITVALIS,

In qua homo in partes incruente diductus homini obijcitur, vt integer in Deum feratur.

CAPVT I.

Ad ſui diſcuſſionem, & anatomiam homo vocatur.

Magnum *miraculum homo*, *mirari* ſe debet. 1
Diuinæ virtutis *receptaculū* homo eſt.
Ad vitam *homini* eſt ſe obijcere ſibi.
Rex ſui fit, qui *ſcrutatur* ſe. 2
Vera *ſapientia* intus *ſapere*, non foris.
Perſtricti, qui *curioſè* Cęlos *ſcrutantur*, ſe negligunt.

Fæneratoribus comparati, qui *aliena* tractant domi ſuæ non ſunt. 3

Dæmonis *extatici*, qui *terrenis* occupantur, ſui obliti.

Dei Patris exemplo à nobis non recedamus, nec extra *vagemur*.

Curioſa externorũ *circumſpectio* quã noxia. 4

Qui *foras* prodit *maculas* facilè contrahit; abolet contracta, qui ſe ſubit.

Nemo ſe *ignoret temporalibus* rebus affixus. 5

Exul pectoris ſui fit, qui *interiora* contemnit.

Sui *lanius* homo fiat. 6

Ad ſui *conſiderationem* vt Deus *hominem* vocauerit.

Quàm vtilis ſui *anatomia* ſit.

1 ALienum valdè eſt, hominem aliena ſcrutari, ſe neglecto; & valdè mirum illum mirari alia non ſe. Videtur extra ſe eſſe, qui rimatur ea, quæ extra ſe, imme-

mor ſui. Domi ſuæ quiſque habet non notitiæ tantùm, ſed & admirationis materiam. Perpenſè de homine Sanctus Auguſtinus: *Omni miraculo, quod fit per hominem*, MAIVS MIRACVLVM EST HOMO. Cur igitur mentis in ſe oculos non flectat, atque etiam corporis, vt dum ſe reſpicit conditorem ſuſpiciat, & reuereatur? *Miratur homo alia*, ab eodem calamo hoc quoq; eſt, *cùm ipſe* MIRATOR SIT MAGNVM MIRACVLVM. Et quid eſt, quod in admirationem hominem non rapit homo ipſe, niſi quia extra ſe poſitus ſe non conſiderat? Mercurius quoque Triſmegiſtus ita de homine cenſuit: *Magnum*, inquit, MIRACVLVM *homo*, vt inter miracula hoc etiam cenſeri debeat, ſe tanquam mundi miraculum hominem non habere.

Fuit, qui virtutis diuinæ, ſapientiæque receptaculum, hominem dixit. Sanctus Irenæus: *Gloria*, inquit, *hominis Deus*, *operationis verò*

Dei, & omnis ſapientiæ eius, & VIRTVTIS RECEPTACVLVM *homo*. Cur igitur adeò homo deſipiat, vt alia conſideret, ſe negligat, admiretur, quæ propter hominem facta, ſe ſolum prætereat? Quis non ſtupeat in ſtuporem hominem rapi, dum alia videt, nec rapi ad notitiam ſui, ad ſui corporis formationem?

Serpenti ſpeculum objiciunt, & reflexu radiorum ſuorum perimitur vt ferunt? homini contra accidit, ſi ſpeculum ei objiciatur, quo ſe videat, incipit viuere; Quòd ſi moriatur, mundo moritur & ſibi, vt viuat Deo. Si tamen ita reſpicit vt in ſe non ſiſtat, ſed in eo feratur à quo id omne habet, quod eſt. Objiciat ſe ſibi homo, ne homini objiciatur, quod hominis nomen habeat, nec tanto reipſa reſpondeat titulo. Vellem in ſui ſcrutatione magis curioſum hominem eſſe, qui in alienis rebus tàm alienè ſolet curioſus eſſe. Speculi ſubibunt

bibunt vicem, quæ hîc damus, hominem homini objicient, vt dum formam ſuam videt, reformet ſe.

Incipit aſſurgere ſupra ſe ipſum, qui ſe conſiderat, & fit maior ſe, qui ſui formatione ſe, vt ita loquar, informat. Apud Ægyptios, vt Plinius Medicus refert, regum *erat ſtudium* SCRVTARI CORPORA MORTVORVM, *& cauſas valetudinum occulta fide recognoſcere*; Quilibet corpus ſuum viuens ſcrutetur, & fiet rex, certè ſe diſcet regere. Clemens Alexandrinus hoc ex antiquis dictum profert: *Qui admiratus fuerit*, REGNABIT, *& qui regnabit, requieſcit*. Hoc libens ad illam admirationem flecterem, quâ quis in ſui admirationem rapitur, hic plenè regnabit, & feliciùs quã alij reges, quorum regnum cum tumultu, iſtuc eſt cum quiete. 2

Quid refert, extra ſe quempiam ſapere, deſipere in ſe ipſo, & lucrari externa, ſe intus perdere? Audiendus S. Anſelmus: *Quanto*,

inquit, *magis ad mundum accedis, tanto longiùs à Deo recedis,* QVANTO MAGIS FORIS ES SAPIENS, TANTO MAGIS INTVS STVLTVS EFFICERIS. *Quanto magis extra lucraris, tanto magis intus perdis. Quanto magis in his, quæ foris ſunt, vagaris, tanto magis intus euacuaris. Quanto magis in temporalibus es ſolicitus, tanto magis in ſpiritualibus es mendicus. Quid eſt quod omnia ordinas, & teipſum non vis ordinare? Quid in omnibus es prudens, & circa temetipſum inſipiens? Quid eſt quod omnia, quæ foris ſunt ſolicitus es bona facere, & temetipſum ſinis eſſe malum, & inutilem?* Imprudens prudentia eſt, quam quis in alijs exercet, negligit in ſe ipſo. Stulta eſt illa ſapientia, qua homo alijs ſapit, deſipit ſibi, cæca, licet alioquin oculata illa eſt notitia, qua quis nouit ſua, ignorat ſe.

Plerique curioſè cœlos ſcrutantur, qui vtiliùs, ſalubriùſque poſſent ſe ipſos; cadunt hîc opportunè

boni auctoris verba, illorum inſaniam damnantis, qui ſe neglectis circa cœlorum errant errores: *Nemo ſe, nemo ſua reſpectat, &* CVRIOSI MVLTI, *& importuni Cœlis ſunt, ingrato ipſis Cœlis ſcrutinio, magnis erroribus ſecuti luces illas certiſſimis errantes choreis.* Iam Thaletis periculum, & lapſus minor fuit, excidunt plures mente, dum ſyderum errores contemplantur, nec corrigunt ſuos, quin nec ſcire ſtudent, adeo alieni à remedio ſunt. Quid prodeſt aliquem mirari cæleſtia, ſi nihil cœli amet, ſuique neglectu dum extra ſe eſt, exurgat contra ſe, ſui hoſtis factus?

Non nemo in externa, in alie- 3
naque effuſos fœneratoribus comparauit, qui vbique in varijs, diſſitiſque vrbibus iugiter agunt, negotia tractant, at domi non ſunt, CONSCIENTIÆ LIMEN *non ſubit pes eorum*, ſui penitus obliti, in externa occupantur. In hoc quoque diabolus Dei ſimia eſt; habet Deus

multos, qui diuinarum rerum contemplatione extra ſe rapti, in Cœlis verſari videntur. *Ita diabolus*, docti auctoris verba liceat hùc aduehere, *plurimos poſſidet, qui corpore viuentes, ſic abſorpti ſunt contemplatione dicam, an* OCCVPATIONE TERRENORVM, *vt ſpiritum auolaſſe dixeris; ſunt dæmonis* EXSTATICI, *& martyres*, noxia, damnabilique exſtaſi correpti. In rebus medijs poſiti, nunquam ſunt in ſe ipſis, & hoc ipſo fortiùs contra ſe pugnant. Vbique nimirum Argi ſunt, ſed domi talpæ, ex ſuo corpore, ex ſuis membris adeo vtilia non eliciunt monita, vt potius illis vtantur tanquam bellicis armis, quibus animam feriant.

Nunquam ita in externa ferri homo debet, vt ipſe ſibi externus ſit. Æternum iubemur imitari Patrem, qui verbum ſuum emittit, & illud apud ſe retinet ſemper; idem à nobis fiat, dum extra nos poſita cogitamus. Huc nos euehebat Sanctus

ctus Bernardus ad Eugenium Summum Pontificem ſcribens: *A te*, inquit, *tua conſideratio incipiat, non ſolùm autem, ſed in te finiatur, quocunque vagetur*, AD TE REVOCAVERIS *eam cum ſalutis fructu; tu primus, tu vltimus tibi. Sume exemplum de Summo omnium Patre, Verbum ſuum & emittente, & retinente. Verbum tuum conſideratio tua*, SIC PROCEDAT, VT NON RECEDAT, *ſic progrediatur, vt non egrediatur, ſic exeat vt non deſerat*. Amittit ſe, qui ſe à ſe dimittit, & contra ſe eſt, qui eſt extra ſe.

4 Ferè, qui ſe neglecto foras prodit, curioſè inueſtigat aliena, in ſe ea transfert, qua à mentis rectitudine in alienos mores transferatur. Audiendus de hac noxia euagatione, ſuique negligentia Sanctus Bernardinus Senenſis, cuius hæc ſunt verba: *Qui ſui negligens alios* CVRIOSE CIRCVMSPICIT, *dum quoſdam ſuſpicit ſuperiores, quoſdam deſpicit inferiores, & in alijs quidam*

dam videt, quod inuidet, in alijs quod irridet; vnde fit, quod pro mobilitate oculorum leuigatur animus, nulla vtique ſui cura aggrauatus, vt modo per ſuperbiam ab alto ſe erigat, modo per inuidiam ad ima ſe demergat, nunc per iracundiam nequiter contabeſcat, nunc per excellentiam pueriliter hilareſcat, in altero nequam, in altero vanus, in vtroque ſuperbus exiſtit. Melior quiſque futurus ſi extra ſe non fuiſſet, & ſui neglectu in aliena totus non fuiſſet effuſus.

Quod manui accidit Moyſi, idem ſæpè nobis contingit; manus ſinui inſerta à lepra purgabatur, foras emiſſa conſpiciebatur leproſa. Quod in manu factum ad mentem transfer, & rem habes. Qui mentem colligit, & ad ſui ſinum transfert ſe, & ſua cogitat, puritati litabit, qui foras mentem abire iubet, & curioſè in aliena ſpargit, quandam culpæ lepram facilè contrahet, impuram circumferet mentem, aliorum maculas in ſe deri-

uans. Sic ferè, qui extra ſe feruntur, maculas ad ſe ferunt, qui apud ſe ſunt adeo nouas non contrahunt maculas, vt ſtudeant contractas abolere. Igitur vt purus quiſque ſit, apud ſe ſit, ſe obijciat ſibi, vt deleat, quod obijci illi poſſit.

Ignorant ſe, qui nimio in ea 5
feruntur amore, quæ ſunt extra; terrenorum quippè amor homines ita obcæcat, vt quaſdam talpas eos reddat. *Nihil perinde*, verba ſunt Sancti Chryſoſtomi, *quo* TE IPSVM IGNORES *facit, vt temporalibus his eſſe rebus* AFFIXVM. Abrade hunc affectum, & tui notitia donaberis, quin tuus eris, ad te redibis; eſt enim exul à ſe ipſo, qui exteriora quærit, eo neglecto, quod eſt potius. Vt hîc quoque verus ſit Sanctus Auguſtinus, dum dixit: *Exijt* EXVL PECTORIS SVI *contemnendo interiora, amando exteriora.* Proh quàm fatui mortales, qui tàm moleſtè exilium à patria ferunt, il-

lud verò quod eſt nocentius, & infelicius, quo quis exulat à ſe ipſo, adeo non vitant, cum poſſent, vt ſponte eligant, cum non deberent! Quot in patria ſua degunt, & exules ſunt, quia exeunt à ſe ipſis?

Tuum eſt eò redire, vnde nullo impellente, niſi te ipſo, diſceſſeras. Redde te tibi, ad Te redi. Diu exul à te fuiſti, & exilij huius ſenſiſti damna, quæ eò grauiora fuerunt, quò tu leuior in ijs ferendis, imò quod eſt grandius, procurandis. Te ad te ipſum voco, & quod mireris, etiam per teipſum; à tui corporis formatione diſcere potes, quî animus informetur, & reformetur. Semper tecum magiſtrum habes, dum habes te; à te diſce, qualis eſſe debeas. Se hîc quilibet abſque vllo ſanguinis fuſu in partes poteſt diducere, ne mens in varia diducatur; hîc ſciſſio faciet, ne ſcindatur mens, aut noxiorum affectuum dentibus diſcerpatur.

6 Carnifex, aut lanius audit, qui vt homi-

hominem agnoſcat hominem ſcindit, & fodit; hinc illud Tertulliani: *Herophilus ille medicus, aut* LANIVS, *qui ſexcentos exſecuit, vt naturam ſcrutaretur, qui hominem fodit, vt noſſet, neſcio an omnia* INTERNA *eius liquidò explorarit, ipſa morte mutante quæ* VIXERANT; meliorem, vtilioremque anatomiam oſtendo, qua interna, externaque explorari poſſint etiam ante mortem, qua intima homo ſubeat, abſq; eo, quod hominẽ fodiat, & in partes diuidat.

Docere hominem per homines Deus voluit, dum tot modis quemlibet cuilibet ſtuduit obijcere, ac repræſentare; repræſentat in aliorum oculis, in aquis, quæ ſpeculum referunt, licet aliò ferantur. Refert & vmbra, quam producit; quin & nobiliores hominis partes ita in homine Deus locauit, vt non poſt dorſum eſſent, ſed ſub illius oculis, quò eas intueretur, & vtilia ex illis monita exſculperet, quæ vix aliunde poſſet.

Ad

Ad tui anatomiam te voco, calamo pro cultro vtar, teque adeò non feriam, vt facta iam vulnera, ſi voles, ſim curaturus. Solet anatomia in eorum corporibus exerceri, qui vita functi ſunt; noſtra exercebitur in viuis, vt mundo mori quiſque diſcat, & viuere Deo. Tantùm dum in partes diduceris abſque vlla partium ſeparatione, integer hic adſis, adſis totus. Contra te fuiſti, quia fuiſti extra te; hîc pro te eris ſi eris in te, ſuccurres tibi ſi curres ad te, tui neglectu extra te factus.

CAPVT II.

Plures ex ſuo corpore fructus colligere homo poteſt, atq; etiam debet.

Homo, *planta cæleſtis*, cælo dignos fructus producere debet. 7.

Corpora

Corpora *naues quadam*, quibus huius mundi pelagus enauigamus.

Elementa, quæ *corpus* formant, quid moneant. 8

Ab *exteriorum* tumultibus ſe *homo* ſegreget, vt in Deum ſurgat.

Corpore vti debemus tanquam *ſcala.*

Superbiæ remedium vt in *corpore* ſuo quilibet habeat. 9

Concupiſcentiam, & *iram* ponere à ſui *corporis* formatione homo diſcat.

In ſuo corpore *Deum portare* vt quiſque poſſit. Tactus Paulus. 10

Citharæ corpus comparatum.

Membra ſuper lignum *crucis* extendenda, vt harmonicus ſonus ab illis exeat.

Ne effractarium *corpus* fiat, *diſciplina* coërcendum.

Corpus dignitatis noſtræ *frænum*, & *diſciplinæ*. 11

Corpus virtutum *ſchola*.

Firmior in viro *corporis* conſtitutio quid *virum* doceat.

In

In animæ obſequium *corporis membra* facta. 12

Animæ cura potior homini ſit, quàm *corporis*.

7 ANtequam corpus in partes diducam, lubet aliqua monita deducere ex illo, quæ ad mentis integritatem plurimum faciant. Inter alios titulos, quibus ſuper cætera animantia homo gaudet, eſt iſte, quo dictus à Sapientibus eſt, planta cæleſtis. Pulchrè Lippomanus ex Beati Baſilij mente hæc in hominis laudem habet: *At* PLANTA COELESTIS HOMO, *quantum figura, formaque corporis cæteris animantibus antecellit, tantum & dignitate animæ præſtat. Qualiſnam eſt animantium quadrupedum forma? Caput illis ad humum eſt pronum, ad ventrem ſpectat, voluptatem omnibus modis proſequitur. Caput tuum ad ipſum cœlum exurgit, oculi tui res ſupernas conſpiciunt. Quod ſi vnquam & tu carnis affectionibus teipſum ſubiece-*

ris

ris, ventrique, & ijs quæ ſunt ſub ventre ſeruieris, comparatus es ſanè tum cum iumentis mente vacantibus, & illis perſimilis es effectus. Alia te cura decet, ſupernas res (inquam) explorare, ac quærere vbi Chriſtus Deus noſter eſt collocatus, pergere mente ad res ſublimes, atque cœleſtes, terrenis deſpectis, atque poſthabitis. Vti forma decora præditus es, ſic & teipſum, & tuam vitam diſponere velis. In republica verſare cœleſti, vera tibi patria eſt, ſuperna illa libera Hieruſalem, conciues atque contribules ipſi primogeniti, qui ſunt conſcripti in cœlis. Planta cœleſtis homo cum ſit, cœlo dignos debet fructus producere, vt naturæ ſuæ reſpondeat. Spectet ſe, & aptus ſtatim reddetur, vt hos parturiat fructus. A probo calamo res eſt: *Sui corporis formam, ac membrorum dignitatem homo ſeriò cogitet, & mentem* COELO DIGNAM *inde referet*, ſua membra ſpectet & cœlum, cui natus cogitabit. Alioquin non cœleſtis, ſed terrena eſt

planta,

planta, ſi terræ hæreat, terrenis inhiet. Procopius ait corpora noſtra *naues* à ſacro Vate Iſaia nominata, quibus animæ huius mundi pelagus enauigant, & contendunt ad felicitatem; vt toto erret cœlo, qui corpore ſuo vtitur, vt naufragium faciat, & naufragam, vt ita loquar, animam reddat.

8 Corpus integrè conſideratum adeo vtile eſt, vt ſit etiam nomen. Vide litteras, quibus *corpus* componitur, mentior ſi non iiſdem *porcus* formatur, tanquam facile ab vno in aliud migretur, niſi vigil quiſque corporis ſui ſit cuſtos; *corpus* non cuſtoditum, non diſciplina coërcitum *porcus* fit, fit ille, qui non cuſtodit; qui ſolas corporis voluptates quærunt, eos iuſtiùs porcos dixeris, quàm homines.

Ab ijs rebus, quæ extra ſunt ſurgere ad Dei magnificentiam contemplandam homo debet, cur non idem pręſtet ſuum corpus, ſua membra, & membrorum formationem

conſiderans? *Rediens*, inquit Beatus Laurentius Iuſtinianus, *animus humanus ad ſe, ſeque tàm* AB EXTERIORVM TVMVLTIBVS SEGREGANS, *quam à ſordibus delictorum mundans, per ea, quæ facta ſunt, Dei magnificentiam contemplari conatur, ad quam nonniſi præueniente gratia, & cordis munditia pertingere valet.* Per ea igitur, quæ extra nos ſunt, & per ea quibus nos ſumus, in Dei notitiam excitari noſter animus debet, vt eò plenius ſimus noſtri, quò ſalubrius per noſtra imus ad eum, qui nos fecit.

Scalam viderit olim Sanctiſſimus Patriarcha Iacob, & in ea deſcendentes Angelos, & aſcendentes; nos Angeli poſſumus euadere, ſi noſtro corpore tanquam ſcala quadam vtamur, quâ aſcendamus ad Deum, ad noſtram vilitatem cognoſcendam deſcendamus. Pulchrè ille: SCALAM *nobis fecit, qui nos fecit. Scala iſta nos ſumus, Scalæ huius gradus varia ſunt membra, quibus in Crea-*

toris notitiam ſurgere poſſumus. Quàm abijt ab hac mente, qui corporis vſu, membrorumque non ſurgit ad Deum, ſed in Deum inſurgit, Deum lædit?

9 Surſum mentem erigat homo corpus ſuum ſpectans, vt ſimul & humilitate demittat. Quid? quòd ipſa corporis compoſitio id clamat? In formatione hominis parum ignis poſitum fuit, multum luti habuit, & de luto formatus dicitur, vt haberet ſuperbiæ remedium fomentum humilitatis, ſeque demitteret ſe intuens: Raulinus de hac re ita philoſophatur: *Deus in compoſitione humani corporis parum poſuit de alijs tribus elementis, &* MVLTVM DE LVTO, *multum de terra; quia dura, ne delicijs homo* MOLLESCAT; *quia grauis, ne* SVPERBIA ELATVS *contra ſui naturam ad alta euolet*. Humilitatis ſcholã ſi quis corpus dixerit non aberrabit. In ſe homo habet ſuperbiæ remedium, & in ſui corporis materiâ materiam modeſtiæ.

ſtiæ. Addit: *De igne parum habuit, vt de igne* CONCVPISCENTIÆ, *&* IRACVNDIÆ *parum haberet;* qui concupiſcentia, & iracundia æſtuat, vitiorum remedium in vitiorum fomentum vertit. Sed alia, quæ corporis laudem tangunt attingamus, vt laudabilem ſuperbiam à ſe homo hauriat.

Pluris corpus æſtimabat Paulus, 10
quàm ſoleat, cum moneret, vt quilibet in ſuo corpore Deum portaret, quaſi illud, pij doctoris ſunt verba, Pauli ſententiam expendentis, ſit diuerſorium gratiæ, & officina quædam ſanctitatis. Portare autem debemus, non vt aſellus poëticus Iſidis myſteria, ad inaniſſimam pompam ſuperſtitionis, ſed vt gemmæ quædam hierothecæ, vbi Deus tanquam in Solio honorato ſedeat, & ab omnibus videatur. Pupilla oculorum, imagines eorum, cum quibus agimus, concipiunt & repreſentant. Sed proborum oculi, os, manus, & ALIA

CORPORIS MEMBRA DEVM VBIQVE CIRCVMFERVNT. Eo enim vbiq; pudore verſantur, tamque illuſtri & diuina modeſtia, vt in illis omnes Dei numen, & gratiæ lumen, pulchritudinemque agnoſcant.

Citharæ aliqui corpus hominis compararunt, in quo omnia ad harmonicum concentum aptata eſſe videntur, vt nihil abſonum in illo ſit. Paulo aliter rem quidam ex noſtris verſabat; verba exhibeo, quę flecti ad id quod tetigimus, poſſunt: Corpus noſtrum CITHARA appellari ſolet & inſtrumentum, quapropter dicebat Plato, corpus noſtrum eſſe citharam, animam verò intus latentem, citharædum varias circa illud conſonantias, & modulationes exercentem: nunc oculis videt, nunc auribus audit, nunc lingua guſtat, deinde manibus tangit. Vt ergo muſica, & harmonia noſtrarum laudum Deo ſit grata, ſicut muſicus citharam per-

percutit, ita & vnuſquiſque corpus ſuum percutere, & affligere, contritione, pœnitentia, & diſciplina debet: Sic enim percutiebat Paulus, qui dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Et ſicut chordæ citharæ ſuper lignum extenduntur, vt muſica ſit grata, & ſonora, ſic & membra noſtra debemus ſuper lignum Crucis extendere per conformitatem illius, vt laudes noſtræ non ſint illi ingratæ. Explicari vix poteſt, quàm ſuauis, harmonicus, & Dei auribus gratus exeat ſonus à membris, quæ Cruci hæreant, innitantur Cruci.

Ne effractarium corpus ſit diſci- 11
plina eſt coërcendum, quæ tantùm poteſt, vt HVMANVM CORPVS, ſic Vmbertus aſſerebat, *quaſi ad ſtatum innocentiæ reducat, dum illud ſubiectum, & obediens ſpiritui reddit.* Diſciplina corpus indiget, niſi quod animæ ſimul diſciplina, & frænum eſt.

Sapienter, quid enim aliud poſſet?

ſet? animæ corpus, corporiſque imbecillitatem Deus copulauit, vt *dignitatis noſtræ* FRÆNVM, *&* DISCIPLINAM, ita loquitur Elias Cretenſis, ſemper nobiſcum haberemus; cum adeo tumidus, & ſuperbus homo ſit, tam imbecilli corpori iniunctam circumferens animam, quid eſſet ſi validius, nobiliuſque eſſet ſortitus?

Corporis eſt animam vice muri ambire, ne aliquid noxium illam ſubeat, irrumpat in illam. *Corpus*, inquit Sanctus Petrus Chryſologus, *eſt animæ domicilium*, MVRVS *ſpiritus*; abit à ſuo munere, ſi vitia admittat, & à ſe anſam ſumat in animam ſæuiendi, murus ſpiritus corpus dici non poteſt, ſi animam impugnet, & ſe contra ſpiritum armet, & adeo non defendit illum, vt illius defenſores impetat, & ſternat.

Quod firmius, fortius, robuſtiuſque corpus habeat vir, mulier mollius, & imbecillius, docetur ille,

vt firmior in rationis vſu ſit, monetur iſta, ne ſuæ prudentiæ fidat, cùm corporis debilitatem cum rationis imbecillitate copulet. Scitè Sanctus Thomas: „ *Naturale eſt, quod ſicut mulieres ſunt mollioris corporis quàm viri, ita &* DEBILIORIS RATIONIS; VIRI VERO FIRMIORIS; atque adeo à corpore ſuo diſcere quid eſſe vir debeat, mulier quàm cauta ſibique minimè fidens.

12 Corporis, membrorumque ſtructuram ſi ſeriò cogitemus, inueniemus ita à Diuina Prouidentia factam, vt in animæ obſequium tota ſe eſſe tacitè fateatur. Præſtat hìc ſiſtere, quæ habet Sanctus Auguſtinus: *In ipſo corpore, quamuis nobis ſit cum belluis mortalitate commune, multiſque earum reperiatur infirmius, quanta Dei bonitas, quanta prouidentia tanti Creatoris apparet? Nonne ita ſunt in eo loca ſenſuum, & cætera membra diſpoſita, ſpecieſque ipſa & figura, ac ſtatura totius corporis ita modificata*, VT AD MINISTERIVM

ANIMÆ RATIONALIS SE INDICET FACTAM? *Non enim vt animalia rationis expertia prona eſſe videmus in terram, ita creatus eſt homo, ſed erecta in Cœlum corporis forma, admonet eum, quæ ſurſum ſunt ſapere.* Ab hoc ordine, ab hac lege abeunt, qui animam corpori ſeruire cogunt, & membrorum miniſterijs eam addicunt, quæ membra habet tanquam miniſtros.

Animæ cura potior homini ſit. Natura in hominis formatione primam operam in corporis cura poſuit, nos in hoc naturam ipſam ſuperemus, potior & prima cura animæ ſit. Idcircò, inquit pius ille auctor, natura primam corpori curam exhibet, animo tunc nondum præſenti non poteſt. AT NOS INCIPERE DEBEMVS, VBI NATVRA DESIIT: diuiſam operam cum illa habemus, vt ſicut illa ſedula fuit, fecitque quod debuit inſtar fidiſſimæ nutricis, ita nec nos deſimus muneri noſtro: corpus illa aptauit animo, nos animum aptemus, vt rectè præſit, corpori; ſic fiet vt vtrumque Deo ſeruiat. Secundum exitum non expectet, exitium timeat, qui ſecundas animæ exhibet, corpori primas.

CAPVT III.

Humani corporis formatio erectaque forma, ad mentis informationem expenditur.

Hominis dignitatem occultare vt *Deus* ſtuduerit. 13
Humilitatis doctrina in *corpore*.
Corpus virtutum *ſchola*.
Magiſtri munus *corpus* exercet. 14
Circa propriam *vilitatem occupari* quàm ſit vtile.
Corporis ſtructura muſicam *harmoniam* vt edat.
Erectio corporis quid hominem doceat. 15

Curuam gerere *animam* quàm ſit monſtruoſum.

Curuæ animæ, quæ terrena reſpiciunt.

Erectum hominis ſtatum conuellere *Satanas* ſtudet.

Pecudum more *homo* minimè *curuetur*. 16

Curuitas animæ in quo ſita.

Recta figura hominem docet, vt cæleſtia ſpectet.

E *cœlo* originem ſe ducere à ſe *homo* diſcat. 17

Rectitudo vt arte quæſita. Quî id opportunius præſtetur.

Ad *operandum* ſe natum *homo* indicat, dum *rectus* apparet.

A *rectitudine*, qua homo præditus, rectè *loqui* diſcat, ſermoneſque emittere, qui cœlum ſapiant.

Corporis *rectitudo cognationem* cum ijs, qui in *cœlo* degunt, hominem docet. 18

Hominis nomine indignus, qui ſurſum non *aſpicit*.

SCiſſurus corporis membra, 13
quod incruentè fiet, quia calamo, ac mente dumtaxat id præſtabitur, ille autem ferire non poteſt, hæc ita res ſecat, vt integræ adhuc permaneant, verſandum prius corpus ipſum eſt, & vtilia ex illo adhuc integro monita elicienda.

Et in primis humani corporis formatio, ſi ſeriò conſideretur, apta informandæ menti eſt; ſtatim quippè humilitatis documentum homini objicit, vt ſuperbus effici vix poſſit, ſi vnde, & qua ratione ſit factus apud ſe cogitet. Voluit hoc Deus, dum ex luto hominem formauit, dignitatem illius hac ratione tegens, ac temperans, ne nimis efferretur. Notabat iſtuc Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Cùm homo*, inquit, *animal ſit Deo ſimillimum, ne videretur ſupremæ gloriæ ſimulachrum*, EODEM FORMATIONIS MODO, *quo aliæ creaturæ, quæ tales non ſunt, conſtare dignatus eſt*. Igi-

tur quæ formandi corporis materia fuit, fuit & materia humilitatis, quod voluit etiam Sanctus Chryſoſtomus, dum ait: *Formauit hominem puluerem de terra; hinc ſi attendere volumus, non parua nobis* HVMILITATIS AFFERTVR DOCTRINA; ad quam excipiendam non longè eundum eſt, doctorem quilibet ſemper ſecum circumfert, qui ſemper iſtuc docet, etiam cum tacet, domi ſuæ quiſque gymnaſium habet, dum habet corpus; quod ita definiuit Sanctus Petrus Chryſologus: *Corpus eſt animæ domicilium,* VIRTVTVM SCHOLA, & præcipuè humilitatis; nec ſchola tantùm eſt, eſt magiſter, qui optimè docet, licet ſpectetur tantùm, & non audiatur.

Abſque vlla mercedis ſpe docet iſte magiſter, à te nil aliud quærit niſi te. Tantùm monentem audi, nec docentem contemne, non aliud ille pro doctrinæ traditæ miniſterio exigit. Inter lucra ſua hoc computat

putat te lucrari, nam ſic fiet, vt lucretur etiam ſe, aliam hic magiſter non optat gloriam, niſi vt dum eius monitu, atque etiam obiectu tu vilitatem tuam cognoſcis, Dei gloria doneris, donandus & ipſe tecum.

Interim occupatio iſta circa vi- 14
litatem noſtram poteſt nos ad Dei notitiam, gloriamque ducere, adeo vt quò profundius in vilitatis noſtræ cognitionem imus, eò altius in diuinæ gloriæ notitiam aſſurgamus: quod aptâ, ſcitâque ſimilitudine explicabat Ioannes Euſebius in hæc verba: *Occupa te* IN IGNOMINIA TVA, *& quomodo ſis lutum, & cinis: ita videbis gloriam Dei, ad quam factus es. Inutilius in alijs ſubtilitatibus tempus conſumes, quæ impedient potius notitiam Dei. Experientia mirabili compertum eſt, quod vas occupatum, & plenum cinere, eodem modo tantumdem aquæ capiat, ac ſi nihil contineret, cum tamen, ſi qualibet alia re ſit occupatum, eo minus*

excipiet aquam, ad quam ſuſcipiendam factum eſt. Notitia tui non impedit notitiam Dei: rectè vtraque cohæret, altera alteram imbibit, vt cinis & aqua. Videndo ignominiam tuam, veſtigabis gloriam Dei, ad quam erectus es, nec audebis vſurpare. Proh quàm vtilis occupatio iſta eſt, quàm ingentium bonorum mater, non facilè vitiorum ſpinæ mentem occuparent, ſi ſe mens in vilitate iſta occuparet. Vilis homo fit, quia negligit, ſe vilem agnoſcere, & vilitatis ſuæ materiam conſiderare.

Sed corporis ſtructuram expendamus; hanc ad muſicum concentum, muſicamque harmoniam factam notabat Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Oſtendit*, inquit, *organica corporis noſtri ſtructura, quam natura ad* MVSICAS OPERATIONES SCITE EFFINGIT; *intueri enim licet arteriæ velut tibiam, palati quaſi laminam, ſeu tabulam, qua nerui intenduntur, modulationemque quæ fit per linguam, & maxillas, & per os*

quaſi per chordas. Muſica iſta ſuauior, imo & vtilior erit, ſi in virtutum concentum tendat; quod quî fiat feſtiuè docet Sanctus Ambroſius, cuius hæc ſunt verba: *Iuſti anima vtitur corpore vt inſtrumento aut organo, quæ velut præclarus artifex, quò vult obſequium corporis ducit; & effingit de eo ſpeciem, quam elegerit, & eas quas voluerit facit in eo reſonare virtutes, pangens nunc* MODVLOS *caſtitatis, nunc modulos temperantiæ, ſobrietatis carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis ſuauitatem, grauitatem viduitatis.* Proh quàm Dei auribus grata hæc harmonia, quàm gratus muſicus hic concentus eſt!

Præterea erectio ipſa corporis 15
magnum aliquid loquitur, & hominem ita ſuper cætera animantia conſtituit, vt cœlo ſe natum à ſe ipſo diſcat. Erectè ac ſublimiter de hac formæ erectione Lactantius, qui lactea eloquentia rem expendens aiebat: *Cum ſtatuiſſet*

Deus ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera vniuerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit, ſcilicet, vt eadem ſpectaret, vnde illi origo eſt. Illa verò depreſſit ad terram, vt qui nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum proiecto, ventri, pabuloque ſeruirent. Hominis itaque ſolius RECTA RATIO, *& ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis, ac proximus, originem ſuam, fictoremque teſtatur.* Non rectè de ſua erectione cenſet, qui mente ſe ad terram curuat, terrenorum amore.

Monſtruoſa nimis res corpus rectum circumferre, & curuam animam habere. *Quid indecentius*, verba ſunt Sancti Bernardi, *quàm* CVRVAM *recto corpore gerere* ANIMAM? Non reſpondet ſuæ formæ, qui cœli oblitus, terrenis adhæret, & animam cœleſtibus natam ad ima hæc flectit, & veluti curuat. *Quis non intelligat*, inquit Lactantius,

nefas eſſe rectum animal CVRVARE, *vt adoret terram? quæ idcirco pedibus noſtris ſubiecta eſt vt calcanda nobis non adoranda ſit*, & contemnenda non amanda; Quàm ſe illi noxiè demittunt, quàm ſe miſerè curuant, qui à cæleſtibus ad terrena mentem flectunt!

Quid refert rectum corpus habere, ſi curua anima ſit, & ad terram, ad terrena inclinetur? *O mortales*, ſic huius notæ homines alloquitur Beatus Thomas à Villanoua, O CVRVÆ IN TERRAS ANIMÆ, *& cœleſtium inanes, quid peritaris his intenditis bonis?* Si corporis oculis cœlum homo reſpiciat, mentis verò terram, habitu ipſo indicat, ſe pluris corpus facere quàm animam, cum illud efferat, hunc demittat, imò deijciat, & in terram velut inſepeliat.

Corporis rectitudo ſi ſeriò cogitetur, quam homini ſit ſalubris, nouit ſatanicus ſerpens, vt ob id calcaneo inſidiaturum illum Deus dixerit,

xerit, *veluti* RECTVM STATVM *hominis*, vt ille aiebat, *conuulſurus*. In humani corporis formatione maximè erectio iſta dæmoni diſplicuit, timens ne per eam hominis mens in cœlum, cœlique conditorem erigeretur; Curuari hominem volebat, inſidias cum calcaneo strueret, nam ſtatim ac calcaneo opem ferre homo quærit, curuus fit; à curuitate autem corporis facilis ad animæ curuitatem tranſitus fuiſſet.

16 Nemo igitur ita deſipiat, nemo tàm ſæuus in ſe hoſtis ſit, vt ſatanici hoſtis partes agat, & incuruet mentem terrenorum affectu, & amore. Benè bonus ille auctor: *Caue, ò homo*, PECVDVM MORE CVRVARI, *reſpice corporis tui formam, & ſpeciem celſi vigoris aſſume; ſi ſola animalia prona paſcuntur, cur te in edendo ſternis ipſe, quem natura non ſtrauit?* Cur te vſque in terram curuas terrenis voluptatibus hærens?

Curuitas in corpore adeo diſplicet, & tàm cautè vitatur, cur non di-

diſpliceat illa, cur non illa vitetur, quæ in anima eſt; & quæ monſtruoſior eſt, quò nobilior, & erectior ſua natura eſt anima ipſo corpore? eòque nocentior eſt, quò anima perfectior eſt, & donis nobilioribus excipiendis eſt aptior? Anima recta erit, ſi in ea feratur, quæ ſunt ſurſum; curua ſit, ſi in terram flectatur. Feſtiuè Sanctus Bernardus: *Quærere, & ſapere quæ ſunt ſuper terram* CVRVITAS ANIMÆ *eſt, & è regione meditari, & deſiderare quæ ſurſum, rectitudo*. Ad hanc regulam ſi homines metiamur, mentior, ſi non ferè omnes curuos deprehendamus; adeo rarum erit rectum reperiri, vt contra ac in corpore accidat, monſtri inſtar ſit.

Rectus inter alia animantia formatus eſt homo, vt vel hinc dignitatem ſuam ſuper omnia colligeret, ſciretque ſe Regem, & Imperatorem à Deo inſtitutum. Dum ergo ſe rectum videt non debet vileſcere ſibi. Huc faciunt, quæ hanc homi-

hominis figuram expendens, ait Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Conueniunt illa Imperatori, Regiæque dignitatis indicia ſunt, quod* RECTA HOMINI FIGVRA *tributa ſit, quæ ad cœlum tendit, & ſurſum ſpectat, nam quòd ſolus homo inter alias creaturas huiuſmodi eſt, reliquis omnibus corpore deorſum vergentibus: Clariſſimè demonſtrat quanto poteſtas naturæ ſupra cætera eminentis præſtantior illis ſit, quæ ſe huius imperio ſubmittunt.* Sic ille, de hominis loquens opificio. Mentem regiam circumferat, qui regiam in ſe ſpectat notam; alioquin iumentis ipſis inferior erit, ſi ad terrena mentem homo curuet, nec à corpore ſuo diſcit cœlum, cœleſtiaque animo cogitare. Animantia terrena tantùm ſpectare non mirum, hoc ipſis ipſa corporis indicit figura, mirum eſt hominem in ima ſe totum demittere, quem corpus ipſum ad ſublimia vocat, & vrget.

Aliud ab homine Deus vult, ac

ab animantibus exſpectet, dum erectam illi formam dedit. Ab eodem calamo rem habe: *Deus fecit* HOMINEM RECTVM. *Singularem hanc tibi, homo formam conceſſit, quam alij dedit animalium nulli. Quamobrem? quia ſingularem etiam actionem erat traditurus. Reliqua animalia ſunt bruta, & illa ſpectant, ad quæ nata ſunt. Ad paſtum genita ſunt pecora. Itaque pronam deorſumque vergentem formam habent, vt ventrem, & quæ ventri ſubiecta ſunt videant. Siquidem eorum felicitas eſt expletio ventris, ac voluptas. Homo verò non ventrem deſpicit, ſed ſuperiora contuetur.* Iumentis non videtur eſſe ſuperior, qui ſuperiora non reſpectat.

Cœlum non terram homo reſpi- 17
cit, CÆLESTIS *enim eſt* PROPAGO, ait Philo, *non terreſtris, vt vetuſta fama perhibet*; à cœlo igitur ſe originem ducere homo colligat dum videt, ſe aliorum animalium more in terram os non conuertere, ſed ferri in ſublime. Mens ſequatur ha-

bitum vultus, vt ſenſibus referat, quod refert corporis figura.

Lego exſtitiſſe, qui arte corporis curuitatem auferre ſtuduit. Capitolinus in Antonio Pio. *Fuit*, inquit, *ſtatura eleuata decorus. Sed cum eſſet longus, & ſenex,* INCVRVARETVRQVE *tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur, vt* RECTVS *incederet.* Satius erit mentis curuitati occurrere, aut eam emendare, quàm corporis, huic rei non ligneæ tabulæ ſeruient, ſed rerum illarum obſeruatio, quæ in cordis tabulis ſcripſit Dei ſpiritus. Quod ſi ligneas quæris, crucis lignum cordi adprime, moribus exprime, quæ docet crux, & cruci affixus Chriſtus, & curuitatem omnem tollis.

Præterea ipſa corporis rectitudo clamat ad operandum natum hominem eſſe, & ad ea omnia præſtanda inuitari, quæ fieri manibus poſſunt. Pulchrè ille: *Alius huius* RECTITVDINIS *vſus continet innumerabiles manuum commoditates, quibus*

bus careret humana vita, ſi recto corpore non fuiſſet homo. Si enim prono corpore eſſet, vti eum manibus ad ingrediendum modo aliorum animalium neceſſe foret: quapropter tot tamque præclaræ manuum vtilitates, quibus nunc fruimur, ex manibus homini non potuiſſent accidere. Hoc vſu, vt ita loquar, abutitur, qui torpet, nec opera manibus præſtat, quæ poſſet. Addit idem auctor, & aliud bonum ab hac corporis rectitudine colligit dum infit. *Alius vſus ſpectat ad formandum ſermonem: ſi enim homo ad ſimilitudinem animalium* CVRVO ESSET CORPORE, *neceſſe fuiſſet eum ore cibum capere; quamobrem fuiſſet illi datum os nimis oblongum, diductum, & apertum, lingua item nimis dura, craſſaque labia: non igitur humanum ſermonem, & orationem, qua ſecundum mentem nihil melius homini à Deo conceſſum eſt, fingere potuiſſet.* Tantùm qui à rectitudine habet, vt loquatur, rectè diſcat loqui, & cum ab eo quod cœlum ſpe-

ſpectet loquatur, præcipuè in ſermone ad ea flectat, quæ cœlum ſpectant, cœleſtia ſunt.

18 Rectus eſt conditus homo, vt cœlum ſpectaret, & à ſui corporis figura diſceret, cœleſtibus ſe natum, & cognationem quandam cum illis habere, qui in cœlo degunt. *Rectum*, verba ſunt Sancti Zenonis hùc flectentis, *inter omnes animantes finxit ſolum corpus humanum, vt ex ipſo habitu videas, & cognoſcas, quia Supernorum tibi eſt*, CÆLESTIVMQVE COGNATIO. Quod ſi cœlo, cęleſtibuſque neglectis terram tantùm ſpectas, & terrena, reipſa indicabis, te cœleſtium cognationem contemnere, & terrenorum potius ambire. Poteſt amentia maior excogitari? Hoc tamen plures corripi tàm eſt certum, quàm minimè dubium multos ita rerum terrenarum affectu poſſideri, tanquam nullibi cœlum eſſet, & cœleſtium cognationi non eſſemus nati.

Denique videtur homo non eſ-

ſe, qui ſurſum non ſpectat. Cœlum ſpectemus æternum ibi futuri. Pulchrè hùc nos Lactantius vrget, dum ait: *Hinc vtique ἄνθρωπον Græci appellarunt, quod ſurſum ſpectet. Ipſi ergo ſibi renunciant*, SEQVE HOMINVM NOMINE ABDICANT, QVI NON SVRSVM ASPICIANT, *ſed deorſum, niſi fortè idipſum, quod recti ſumus, ſine cauſa homini attributum putant, ſpectare nos cœlum Deus voluit, vtique non fruſtra. Nam & aues, & ex mutis penè omnia cœlum vident, ſed nobis propriè datum eſt cœlum rigidis, ac ſtantibus videre, vt religionem ibi quæramus, vt Deum cuius ſedes illa eſt, quem oculis non poſſumus, animo contemplemur*. Meretur deſpici, qui cœlum non ſuſcipit, nec rectus incedit, qui ſe erectum non cogitat, vt à ſui formatione diſceret, mente ſurſum ferri, ac temnere quæ deorſum.

✠

CAPVT IV.

Corporis, in qua homo naſcitur, nuditas expenditur.

Hominis *nuditas* hominem docet ſe brutis parem non eſſe *fælicitate* extima, & ſeruienti. 19

Nudus naſcens homo tanquam natans *aduerſitatum* fluctibus ſe iactandum ſciat.

Pro *purpura virtute* amiciri homo ſtudeat.

Regia dignitas à *nuditate* potiùs, quàm à veſtibus. 20

Immanitatem homo ponat inermis naſcens.

Mitis homo ſit ſine armis prodiens.

Infantiam ſuam prodit, qui *delicias* quærit. 21

Veſtes non inuidit natura *homini*, ſed negauit, vt eſſet liberior.

Nuditas expeditos nos ad cœlum facere debet.

Nuditas

NVditas ipſa corporis documenta exhibet, quibus, vt ita loquar, anima veſtiatur, quin & exornetur. Nos aliqua hîc offeremus, per quæ aditus ad alia facilè pateat. 19

Nudus naſcitur homo, inermis prodit in lucem, & ſine vllo ornatu; non quia brutis ſuppar, ſed vt ſtatim ſe alterius, hoc eſt ſuperioris ordinis eſſe cogitaret, quia non eadem cum illis ſupellectili gaudet. Pulchrè rem verſat ſcitus ille auctor, & antiquis comparandus. *Ab animo omnia proteguntur. Hic præponderat ſolus tot curis, quibus fœtus reliquos mulcet, & procurat. Oportebat alterius ordinis, ideſt, nobilioris, admoneri hominem,* NE FALLERETVR, COMPAREM SE BRVTIS RATVS, FELICITATE EXTIMA, ET SERVIENTI. *Proinde plebeius cenſus, & par ſupellex quadrupedem dedecebat. Non dignitas cenſu conſtat, nec honos ſupellectili menſuratur. Præſtat homo inops ipſis animali-*

malibus locupletibus, armatis, amictis, quibus ipſe egenus imperat, & ſibi ſeruire facit. Corporis igitur nuditas hominis excellentiam arguit, & eius perfectionem ſuper animantia cætera firmat.

Habet cum arte natandi conſonantiam vitæ noſtræ conditio; naſcitur natantis inſtar homo nudus, vt ſtatim conditionis ſuæ memor tribulationum, & aduerſitatum fluctibus ſe iactandum ſciat. NATANS, inquit Vgo Victorinus, *corpus in aqua habet, caput ſupra aquam, manus, & pedes mouet,* FLVCTVS *retro iacit.* Qui mergi non vult in huius mundi aquis dum natat, caput exſerat, ſurſum mentem eleuet, diù in aquis eam non occultet, ne ſi totum ſe ſub aquas demittat, vndis ſepeliatur, & pereat.

Nudus exit non purpura veſtitus, nec ille quidem, qui ad purpuram naſcitur, naſcitur cum purpura; nullum in hac re diſcrimen natura tanquam omnium ex æquo

mater nouit, ſed nuditas iſta ſtatim clamat, hominem ad Dei imaginem factum, Deum ſuum quodammodo referre, qui ſine veſtibus eſt, monetque, vt pro purpura quærat virtutem; opportunè in hac re præiuit Sanctus Gregorius Nyſſenus, cuius hæc ſunt verba: *Hæc imago*, de homine loquitur, qui viua Dei imago eſt, *non purpura eſt exornata, quando ne ipſum quidam exemplum, ad quod eſt conformata in rebus huiuſmodi conſiſtit, ſed pro* PVRPVRA VIRTVTE AMICTA *eſt, quo cultu nihil magis eſſe regium poteſt.* Regiam mentem homini Deus indidit, licet regiam ſtatim veſtem non exhibuerit, dedit quod plus eſt, vt negauiſſe, quod eſt minus, non putetur auaritiæ, fuiſſe.

Porrò regium decus à nuditate 20
potiùs eſſe, quàm à veſtibus ita confiſcio, & probo. Dum primus homo exutus manſit, & tàm pauper vt nec veſtem haberet, felici animalium regno potitus eſt, ani-

mantia omnia ſequentia habuit, & obſequentia; veſtitus hoc fuit ſpoliatus imperio. *Homo*, inquit ille, *dum manſit* NVDVS *incontrouerſa animalium obedientia potitus fuit, quæ caruit cum caruit nuditate;* nudus hoc regno fuit, cùm non fuit nudus, & beſtiæ, quæ primi hominis nuditatem veluti adorarunt, viſæ ſunt dominum non nouiſſe dum veſtitum viderunt. Tanti fieri nuditas debet, vt hominis ſit decor, & ornamentum.

Prodeant animantia cætera tecta, & veluti armata; inermis naſcitur homo, vt ſtatim à ſe ipſo diſceret, quam ab omni crudelitate, & ſæuitia alienus eſſe deberet: cornibus, vnguibus, dentibus, ſetis, ſpinis, plumis, corticibus, cruſtis, teſtis, pilis armata, munitaque exeant bruta, exermis, exutuſque homo naſcitur, mitis, ac manſuetus futurus, & immanitatis omnis expers: armis omnibus caret homo dum naſcitur, *ne immanitate* FE-

RVS, *ac* CRVDELIS *eſſet*, inquit Sanctus Gregorius Nyſſenus, *rebus ad exercendam* SÆVITIAM *comparatis à natura inſtructus*. Inermis, & nudus naſcitur, vt manſuetudine ſe armaret, ſe mititate veſtiret. Præterea hominem Deus finxit nudo, mollique corpore, tectè monens nos non ad bella more ferarum, quas varijs armis inſtruxit, ſed ad concordiam, mutuamque beneuolentiam natos eſſe; vt à natura ſua abeat, qui totus in bella mouetur, lites, & diſcordias ſerit, tanquam à matris vtero armis veſtitus prodierit.

Nudus, & inermis homo naſcitur; cùm bruta veſtita, & pleraque armis munita naſcantur, vt ſtatim à ſe ipſo diſceret ſe mitem eſſe debere, & pacis ſectatorem. Egregiè rem verſat auctor ab aureo ore, dum ſcribit: *Bruta corpore gerunt arma, puta Bos cornua, dentes Aper, vngues Leo. Mihi verò non in corporis natura Deus* ARMA *repoſuit, ſed*

dextra corpus demonſtrans, quod ANIMAL MITE *ſit homo*. Vix homines dicas, qui ſemper armati incedunt, tanquam arma natura non ſæuitia dederit.

21 Nuditas quoque iſta nos monet, vt à delicijs, luxibus longè abeamus, nam incongruum valdè eſt, & abſonum, maiorem fortitudinem hominem oſtendere, dum naſcitur, quàm dum viuit. Pulchrè Martinus Dumienſis Epiſcopus: *Omnes infantes terra nudos excipit; non pudet te* FORTIVS NASCI, *quàm* VIVERE? Infantiam ſuam prodit, qui mollia fortior factus quærit, qui tàm durè ſe exceptum ſciat, cum infans prodijſſet. Voluptatum te illecebræ petunt? te contra illas tua nuditate muni; teipſum obijce tibi ipſi, memineris nudum te natum, & quadam omnem mollitiem eiurantis forma in hanc lucem te datum. Nudus es natus, vt ſtatim contra voluptatum blanditias fortis Athleta pugnares.

Porrò non fuit auaritiæ, quòd veſtes, aliaque præſidia homini natura non dederit, fuit liberalitatis, minus dedit vt plus dare poſſet. Nihil inuidit homini, ſed hominem eſt, liceat ita loqui, reuerita; noluit ſe nimis humanis rebus immiſcere, noluit ab hominum libertate aliquid abradere, voluit nos eſſe, quod ſumus, liberos. *Suas vices reliquit*, vt Euſebius ait, *rationi; ſuum arbitrio ius. Permiſit animo omnia, vt hic excolatur, & formetur. Incultum, informemque hominem fecit, ante refecturum, & meliori conditione, in quibus defecit ipſa. Noluit diuinare natura, nec præuenire humanum guſtum, incertum,* LIBERVM. *Non omnia omnibus placent, nec eadem eidem omni tempore. Permoleſtum eſſet ſemper* VESTITVM ESSE, *ſemper armatum, ſemper manentem domi, aut onuſtum ſua domo vt teſtudines, & oſtreæ. Arma belli tempore conueniunt, poſſunt tunc arripi. Pelles, & veſtitus in hieme. Poſſumus tunc*

protegi. Nimirum dedit omnia nobis natura cùm nihil dederit, & liberalitatem ſuam tunc maximè prodidit, cùm viſa eſt quadam auaritia laboraſſe. Abſque magno apparatu habet homo, quæ habent omnia. Parum ergo refert rudes artus habere, ſi mente muniamur.

Denique nuditas iſta in hoc quoque nobis vtilis, quòd expeditos nos ad Cœlum & facit, & tacitè inclamat, vt omne diuitiarum onus à nobis excutiamus, vt quos nudos excepit terra, nudos cœlum recipiat. Feſtiuè Sanctus Ambroſius: *Ideò*, inquit, *nudi ſeculo naſcimur*; NVDI *etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus. Quam autem incongruum, & abſurdum eſt, vt quem nudum mater genuit*, NVDVM *ſuſcipit Eccleſia, diues intrare velit in cœlum?* Non intrabis Cœlum, niſi terrenorum à te exeat cupiditas; nec Cœli gaudebit domicilio, qui auaritiæ domicilium eſt.

Veniſti in mundum NVDVS, NVDVSQVE *redibis*,
Nil tecum attuleras ferre, nihil poteris.

Cuilibet iſtuc occinit Sanctus Orientius. Reliquum eſt, vt nullus ſinat affectu ſe in illud ferri; quod ferre ſecum non poterit, & quod magis à Cæli aditu auocat, quò ardentius amatur.

CAPVT V.

Humani corporis magnitudo; membrorumq; harmonia ad mores expenditur.

Stata *corporis magnitudo*, non verò animi *immortalitatis* argumentum. 22

Exigua *corporis menſura ſuperbiæ* tumori reprimendo.

Corporis magnitudo, vnde vera *celſitudo* ſumenda ſit docet. 23

Membrorum ſymmetria, & proportio ad *concordiam* nos vocat.

Muſica *membrorum harmonia*.

Pax, & *concordia* ex interno affectu prodeat.

Bonorum *operum harmonia* commendata. 24

Membrorum vſus probatus, improbatus abuſus.

Membra arma iniquitatis ne fiant.

Pſalterium, & *cythara membra* noſtra quando fiant. 25

Ordo, & *numerus membrorum* ad Deum transferre nos debet.

In proximi ſui *auxilium* natum *hominem* corporis *membra* indicant.

A ſuis *membris homo* diſcat alteri non *inuidere*, nocere nulli, iuuare omnes. 26

Commodis aliorum vt ſe *homo* aptet, *membra* ſua ſpectet.

Varia in *Eccleſia* munera, à pluribus ordinatè præſtanda.

Hominis *fabrica* ad *operandum hominem* natum inclamat.

Plu-

PLura exhibet documenta corpus, quàm vt poſſint vnius capitis anguſtijs omnia claudi, aliqua dedimus, damus hîc alia, ſed plura remanent, quæ ex ſe quilibet fodiat, & ſuo etiam labore eò pergat, quò alterius calamus conſultò non iuit. Aquam imitare, quæ anguſtum foramen nacta paulatim facit illud ſibi grandius. 22

Statæ magnitudinis Deus voluit corpus hominis eſſe, nec ſemper creſcere; in ſapientia, prudentiaque anima creſcit, corpus annorum diuturnitate potiùs minuitur, quàm augeatur. Quod immortalitatis indicium viſum Alphonſo Aragonum Regi, vt ex eius mente Panormitanus referebat. Maximum ſcilicet ſibi immortalitatis argumentum videri; *Quòd* CORPORA *in hac vita decreſcerent, ſuoſque terminos augmenti habeant*; ANIMVM *verò quanto amplius ad annos accederent, tanto magis ſapientia, virtute, & intelligentia creſcerent*. Quàm libera-

 lis

lis nobiſcum fuit, qui nos fecit, vt ibi augmenta perennarent, vbi multum referebat adeſſe, vbi parum, aut nihil, ibi ſtatus magnitudinis eſſet terminus.

Præterea noluit Conditor hominis corpus immenſæ eſſe magnitudinis, ſed exiguæ menſuræ terminis contineri, ne molis vaſtitas tumorem animo affricaret. Perpenſè Theodoretus: *Non ex infirmitate conditoris*, inquit, *tantula hominibus eſt præſcripta menſura, quando in procliui illi fuiſſet, multo etiam maiores facere, ſed vt* SVPERBIÆ TVMOREM REPRIMERET. *Nam ſi in tantillo corpore non inter ſe modo, ſed in ipſum quoque Conditorem ſuperbiunt, quid intentatum reliquiſſent, ſi vaſto corpore extitiſſent?* Quàm magnos à ſua magnitudine ſpiritus hauſit Goliath; ſuperbiæ materiam ſaltem ab hac parte Deus ſubmouit, cum humani corporis molem inter tàm exiguos terminos concluſit; nec carneas nos turres circumferre

ferre voluit, ne haberet homo in corpore tam erecto, vt ſe erigeret, neque à ſua latitudine ſumeret, vt intumeſceret.

Ex corporis magnitudine, quæ 23
ab eo quod quis eſt, non ab eo quod habet ſumitur, colligi poteſt in quo ſita vera celſitudo ſit, nec à diuitijs, externiſque bonis mutuandam. Præclarè in hac re philoſophatur auctor ab aureo ore, dum ait: *Eſt quiſpiam altus ſtatura corporis, alius verò acceptis ocreis fit altior. Quemnam ergo vocamus* ALTVM, & MAGNVM; *quem paruum, & infimum? An non magnum eum dicimus, qui* EX SE HABET MAGNITVDINEM? *alter enim hoc habet alienum, & his, quæ ſunt parua aſcenſis fit altus, qui non ideo altus vocatur, ſed infimus. Quod multis accidit hominibus, qui pecunijs, & gloria ſe ſe efferunt, quod quidem non eſt altitudo: altus enim eſt, qui nullis eorum indiget, ſed omnia deſpicit, & à ſeipſo habet magnitudinem.* Ad hanc regulam, ſi homi-

nem metiamur, plures deprehendemus exiguæ paruitatis eſſe, quos tanquam magnos mundus ſuſpicit, & admiratur. Specta bonam mortalium partem, & quos gigantes putabas, pigmæi ſunt, ſi ab illis ea ſubmoueas, quæ extra illos.

Quid admirabilem ſymmetriam, & partium inter ſe proportionem loquar? Quælibet enim pars cognatam alteram æquiſſima commenſuratione reſpicit; dexter oculus læuum quantitate pari, qualitate motuque ſimillimo. Auris reſpondet auri, naris nari, labio labium, gena genæ, ſupercilium ſupercilio. Oris magnitudo ſingulorum oculorum magnitudini exæquatur, latitudo frontis, longitudini nari, qui labiorum, & menti longitudini commenſuratur. Hæc proportio tam inſignis, ac diuina eſt, vt in illam quaſi in abſolutiſſimum exemplar perfectiſſimi quiq; artifices perpetuò intueantur, vt nobilium operum membra ſuis magni-

tudinibus ritè definiant. Proportio iſta membrorum, æqualiſque menſura nos ad proximorum noſtrorum concordiam vocat, talis quiſque cum alijs eſſe ſtudeat, qualia inter ſe eſſe videt corporis ſui membra.

Nec exſtima tantùm membra, & quæ oculis corporis ſunt expoſita hanc inter ſe concordiam, & veluti harmoniam ſeruant, ſed & ea quæ non videntur. Rem ſic expendebat Sanctus Auguſtinus: *Et quidam*, inquit, *nunc, quia imperiti ſumus, & cauſas rerum ignoramus, ſi videantur interiora noſtra, horrentur potiùs, quàm diliguntur. Quis enim nouit, quemadmodum ſibi inuicem connexa ſint membra, & quibus numeris coaptata? Vnde vocatur etiam* HARMONIA, *quod verbum dictum eſt de muſica: vbi videmus certè in cythara neruos diſtentos. Si omnes nerui ſimiliter ſonent, nulla eſt cantilena. Diuerſa diſtentio diuerſos reddit ſonos; ſed diuerſi ſoni, ratione coniuncti, pa-*

riunt non videntibus pulchritudinem, ſed audientibus ſuauitatem. Iſtam rationem quiſquis in membris humanis didicerit, tantum miratur, tantum delectatur, vt omni viſibili pulchritudini iſta ratio ab intelligentibus præferatur. Modò eam neſcimus, ſed tunc ſciemus, non quia nudabuntur, ſed quia etiam cooperta latere non poterunt. Et hinc quoque docemur non exſtimè, & exterius quibuſdam ſignis tantùm concordiam colendam eſſe, ſed quod eſt præcipuum, totis viſceribus, & cordis affectu; alioquin fruſtra ſibi de concordiæ, & vnionis harmonia blanditur, qui ſub amici perſonâ nouercale abſcondit odium.

24 Aliud in hac membrorum cohærentia, & harmonia conſidero, nempè vnum ſolum membrum ſufficere illi deturpandæ, quin & penitus tollendæ; idem ad bonorum operum harmoniam transferre poſſumus. Tranſtulit bonus ille auctor, cuius hæc ſunt verba: *Quos,* inquit,

dolores, quàm monſtruoſitatem, & miſerias afferat, vnum ſolum membrum, vel luxatum, vel exertum, aut diſſolutum, non eſt qui non ſciat: Par fermè ratio eſt in HARMONIA SPIRITVALI BONORVM OPERVM, *in quibus habitare geſtit Spiritus ſanctus.* Decet in nobis talem eſſe operum harmoniam, vt nihil ſit abſonum, minimèque cohærens, quod eam tollat, ne Spiritus ſanctus, vt monebat Apoſtolus, à nobis contriſtetur.

A membrorum harmonia tranſitum ad bonorum operum harmoniam facere quiſque debet, ab hac mente abit, qui ipſis membris abutitur potiùs, quàm vtatur, nec membrorum miniſterio ad Deum, qui ea fecit ſe transfert, ſed eum lædit. A quo nos auocans Sanctus Chryſoſtomus, hæc in cautionem auream offerebat verba: *Vide, quæſo, datus eſt* OCVLVS, *vt creaturam intuens Dominum glorifices; at ſi oculo rectè non vtaris, adulterij tibi conciliator e-*

uadit; LINGVA *verò data eſt, vt laudes, vt celebres creatorem: at ſi rectè non attendas, blaſphemiæ tibi fit adminiſtra.* MANVS *datæ ſunt, vt ad preces illas extendas: ſed ſi ſobrius non ſis, ad rapinam eas extendis.* PEDES *dati ſunt vt ad bona opera curras; ſed ſi negligens fueris, eorum ope malas actiones exequeris.* Sicque malus homo fit, aut ex malo euadit peſſimus per ea membra, quæ data ſunt homini, vt eſſent ad bonum inſtrumenta, & per ea ſpiritualia merita cumularet, non vt cumulata diſpergeret.

Membrorum harmonia abutitur, qui membris ea committit, ad quæ membra non fuêre exhibita, & vt verbo dicam, membra facit arma iniquitatis, quæ eſſe debebant inſtrumenta virtutis; *Neque enim,* verba ſunt Tertulliani, OCVLOS *ad concupiſcentias ſumpſimus, nec* LINGVAM *ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, &* GVLAM *ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ ſatie-*

ſatietatem, & genitalia ad exceſſus impudicitiæ, & MANVS *ad vim, &* GRESSVS *ad vagam vitam, aut ſpiritus ideò inſitus corpori, vt inſidiarum, & fraudum, & iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor;* idem ſentiet, qui mentem habet, nec diſſentiet opere, qui Dei timore non caret.

Harmoniam in membris vidit, 25
qui membra fieri Pſalterium dixit, & cytharam, quibus non verbis, ſed rebus nouum canticum caneretur. Præſtat hîc ſiſtere, quæ auctor ab aureo ore appoſitiſſimè habet: *Poſſumus,* inquit, *per oculos canere, non autem per linguam tantùm: & per manus, & per pedes, & per aures, quando enim vnumquodque eorum ea facit quæ Deo gloriam, & honorem afferunt, vtpotè quando oculus non impudicè reſpexerit; quando manus non ad rapinam, ſed ad eleemoſynam ſe extenderint: quando ad Pſalmos, & auditiones ſpiritales ſuſcipiendas aures paratæ fuerint: quando pedes ad Eccleſiam cucurrerint,*

rint, *quando cor non dolos ſtruit, ſed charitate ſcatet, fiunt* PSALTERIVM, ET CYTHARA MEMBRA CORPORIS, *& canunt nouum canticum, non verbis ſolis, ſed etiam rebus ipſis.* Quàm gratum Dei auribus eſt hoc canticum, quàm dulcis rerum, operum, verborumque concentus!

Eſt præterea, quod in corpore, corporiſque membris admiremur, ordinem, numerum, menſuram; quæ cogitatio nos ſtatim ad Deum transferet, à quo ſolo hæc omnia eſſe potuêre. Pulchrè rem verſat Sanctus Auguſtinus, nequeo hîc eius verba ſupprimere, & ſunt iſta: *Non enim animalis alicuius corpus conſidero, vbi non menſuras, &* NVMEROS, *&* ORDINEM *inueniam ad vnitatem concordiæ pertinere, quæ omnia veniant, non intelligo niſi à ſumma menſura, & numero, & ordine, quæ in ipſa Dei ſublimitate incommutabili, atque æterna conſiſtunt.* Cum igitur ſui corporis formationem homo ſpectat, ſtatim ire in Deum de-

bet, non cogitatione dumtaxat, ſed affectu, & amore: Clamant omnia, quæ in homine, amandum Deum eſſe, à quo fuit, quicquid in homine eſt, quicquid homo eſt.

Nec ad Deum tantùm nos corporis noſtri membra alliciunt, & veluti inuitant, ſed ad proximum, proximique obſequium. Specta membra omnia, & illorum vſum, ac miniſterium, mentior niſi aſſeras vnumquodque in alterius commodum, ac vtilitatem natum. Benè bonus ille auctor: *Ordinatiſſimè corpus ex membris Deus compoſuit velut temperatura quadam, vt ſibi* MVTVO AVXILIARI, iuuare ſe inuicem poſſent, ſibique inuicem ſeruire. Quæ res apertè indicat, hominem in alterius commodum natum, factum in proximi ſui vtilitatem, vt homo in alium faciat, quod fieri à ſuis membris in ſua membra videt.

A ſuis membris diſcere homo 26
debet alijs nihil inuidere, nec of-

ficium, quod exercere in alios poteſt, denegare; omnibus compati, nulli detrahere, mordere nullum, neminem lædere. Præſtat hîc ſiſtere, quæ in hanc rem ſuauiſſimè, aptiſſimèq; habet Sanctus Ambroſius; ait enim: *Et ſi quid dolet membrum vnum, compatiuntur ei membra omnia. Vnde quàm graue eſt vt* DETRAHAMVS *aliquid ei, cui nos compati oportet: & cui debemus conſortium miniſterij, ei fraudi, & noxæ ſimus! Hæc vtiq; lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem, vt alter alteri tanquam vnius partes corporis inuicem deferamus. Nec detrahendum quicquam putemus, cùm contra naturæ legem ſit, non iuuare. Sic enim naſcimur vt conſentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obſequantur ſibi mutuo miniſterio. Quod ſi vnum deſit officio ſuo, impediantur & cætera: ut ſi eruat oculum manus, nonne ſibi operis ſui vſum negauit? Si pedem vulneret, quantorum ſibi actuum profectum in-*

uiderit:

uiderit? Et quanto grauius eſt totum hominem, quàm vnum membrum detrahi? Iam ſi in vno membro totum corpus violatur, vtique in vno homine communio totius humanitatis ſoluitur, violatur natura generis humani, & Sanctæ Eccleſiæ congregatio, quæ in vnum connexum corpus, atque compactum vnitate fidei, & charitatis aſſurgit. Chriſtus quoque Dominus, qui pro vniuerſis mortuus eſt, mercedem ſanguinis ſui euacuatam dolebit. Pluſcula fuerint, nihil tamen elidi potuit, ne elegantiæ aliquid deperiret; ab integra ſententia plenior poteſt ſuccus exprimi, maior elici vtilitas.

27 Singula membra ſua habent miniſteria, ſed ita ordinata, vt vnumquodque per aliud faciat, quod ſe ipſo non poteſt. Religio eſſet hîc deſiderari S. Auguſtini verba, qui ita de hac re philoſophatur: *Non poteſt dicere oculus manui,* OPVS TE NON HABEO. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum corpus*

audi-

*auditus, vbi odoratus? Ergo in mem-
bris noſtris videtis, fratres, quomodo
ſingula officium ſuum habent membra.
Oculus videt, & non audit; auris au-
dit, & non videt; manus operatur, nec
audit, nec videt; pes ambulat, nec au-
dit, nec videt, nec facit quod facit
manus. Sed in vno corpore ſi ſit ſa-
nitas, & non aduerſum ſe litigent mem-
bra, & auris videt in oculo, & ocu-
lus audit in aure:* idemque in alijs
accidit. Quæ res hominem docet,
vt aliorum ſe commodis aptet, vt
alij quoque vtilitatem ex illis ope-
ribus ſentiant, quæ præſtat, non
ſecus ac ſi proximi ſui quilibet eſſet
inſtrumentum.

Porrò vt in corpore varia ſunt
membra, & multa ſenſuum organa,
idem & in Eccleſia accidere Sum-
mus Eccleſiæ Paſtor Sanctus Gre-
gorius in hunc modum explicabat:
Quid enim, inquit, *Sancta Eccleſia,
niſi ſuperni ſui capitis corpus eſt? In
qua alius alta videndo*, OCVLVS;
alius recta operando, MANVS; *alius*
ad

ad iniuncta diſcurrendo, PES; *alius
præceptorum vocem intelligendo*, AV-
RIS; *alius malorum fœtorem, bono-
rumque fragantiam diſcernendo* NA-
RIS *eſt*. Vt nouerint ſinguli vnius
corporis ſe eſſe membra, & natos
alijs ſeruire non ſibi ſolis, inque
vno habere multos multa commo-
da.

Denique aliud homini hominis
fabrica aſſiduè inclamat; nimirum
ad opus eum natum, ad laborem.
Specta humanum corpus, & ſtatim
verum illud Medicorum effatum
eſſe deprehendes. *Totius fabricæ
humani corporis eſt* ACTIO; om-
nia ſe actioni eſſe nata pro-
bant, dum ſe offerunt vi-
denda, & tectè di-
cunt aptanda
eſſe
operi, quæ operi ſunt
apta.

CA-

CAPVT VI.

Corporis forma, ac pulchritudo menti informandæ apta, apta & deformitas.

Formæ noſtræ *pulchritudo* Deum fatetur artificem. 28

Virtutibus ſuppleatur, quidquid *corpori* deeſt.

Corporis *venuſtate* vt *ſcala* vtamur, qua ad Deum aſcendamus. 29

In *corporis pulchritudine* minimè ſiſtatur, tranſitus per eam ad internam fiat.

Animi *venuſtas* quærenda. 30

Humani *corporis fabricam* Deus cur non *laudarit*.

Pulchritudo ſine *virtutibus* præcipitium, & venenum.

Virtutis decor virtutis *color*. 31

Pulchritudo mediocritatem vt doceat.

Nulla *virtus* negligenda.

Deformitas pudicitiæ cuſtos. 32

De-

Deformis contra pulchritudines *aucupes* tuta.

Laqueus incautè viſa *pulchritudo*.

Diuini *amoris* ignis *maculam* omnem tollit. 33

Corporis *deformitas* animæ *pulchritudini* nihil officit.

Maculæ pretium rebus aliquibus addunt; idem vt hic fiat.

Monſtruoſitas plus in *anima*, quàm in *corpore* abhorrenda.

VT aliunde ad Deum non vocaremur; vocat nos, at- 28
que etiam vrget corpus ipſum. Corporis mirum artificium Deum prædicat artificem, atque adeo ad Deum inuitat, dum Deum prodit. Egregiè Minutius: *Ipſa præcipuè*, inquit, FORMÆ NOSTRÆ PVLCHRITVDO DEVM FATETVR ARTIFICEM, *ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo velut in ſpecula conſtituti, & omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti; Longum eſt ire per ſingula: Nihil in ho-*

mine

mine membrorum eſt, & quod non & neceſſitatis cauſa ſit, & decoris, & quod magis mirum eſt, eadem figura omnibus, ſed quædam vnicuique lineamenta deflexa: & ſic ſimiles vniuerſi videmur, & inter ſe ſinguli diſſimiles inuenimur. Qui figura corporis fatetur Deum non debet moribus, ac factis negare.

Antiquus quidam philoſophus philoſophiæ monita quemlibet à ſe ipſo haurire poſſe ſignificabat, & à ſuo corpore diſciplinæ regulam, cùm iuſſit, vt diſcipuli ſui ſpecula ſecum deferrent, vt ſe ipſos ſpectantes, à pulchritudine diſcerent malis moribus eam non polluere, à deformitate, bonis eam ſupplere. Seneca ad hanc mentem: *Inuenta*, inquit, *ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta, primo ſui notitia; deinde ad quædam conſilium: formoſus vt vitaret infamiam, deformis vt ſciret remedium* ESSE VIRTVTIBVS QVICQVID CORPORI DEESSET: *iuue-*

nis vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi, ſenex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Audis quàm multa vnus ſibi homo poſſit exhibere monita, ſi ſpectet ſe? Bona forma à malis nos auocat, non bona vrget ad bona. Qui corpore venuſtus eſt, deformitatem ab animo reijciat, ne potior pars inuideat viliori; qui eſt inuenuſtus, totum ſe det animæ expoliendæ, vt quò magis hominum oculis corporis deformitate poteſt diſplicere, eò magis animæ pulchritudine Deo placeat.

Si vti ſciamus, corporis pulchri- 29
tudo, ac venuſtas, ſcalæ nobis vice ſeruiet, qua aſcendamus ad Deum, & quod plus eſt, in Dei amorem accendamur. *Quidam* (verba ſunt Sancti Ioannis Climaci rem referentis, & expendentis) *cùm pulchrum corpus eſſet intuitus, auctorem illius Deum ex occaſione illius, magnificè prædicauit, & ex ſola illius con-*

templatione in Dei amorem effuſus magnam vim lachrymarum profudit: ſtupendumque erat videre id quod alterum IN EXITIVM, ET RVINAM *trahebat, hoc alteri ſupra naturæ vim in præmium cœleſte ceſſiſſe.* Quod de alieno corpore auctor iſte dixit, poteſt quilibet non alienè etiam ad proprium transferre. Corporis ſui pulchritudinem qui ſpectat, ibi non ſiſtat, eat ſtatim ad artificem, in Deum feratur, Deum efferat, & amet.

Eouſque ſpectanda corporis ſiue proprij, ſiue alieni venuſtas, quouſque nos ad Deum, velut ad artificem ducat, nam ſi quis in ipſa ſiſtat, ruit; corporis ſpectetur pulchritudo, vt ad animæ venuſtatem eatur. Corporis formam intimo cordis ſacrario non excipiet, qui exſtimè in ſola cute ſitã eã eſſe cogitabit. Pulchrè de pulchritudine philoſophatur Sanctus Chryſoſtomus, vt nefas duxerim illius hîc verba ſupprimere: *At propterea*

illud quoque tecum reputa, id, quod cernis, nihil aliud eſſe, quàm pituitam, & ſanguinem, ac corrupti alimenti ſuccum. At lætus, ac ſplendidus oris flos eſt, inquies. Eſto ſanè: ſed terræ etiam floribus nihil lætius, ac iucundius eſt: qui tamen etiam marceſcunt, atque in putredinem abeunt. Quocirca ne hìc quoque ad florem attende, SED INTERIVS ANIMO TRANSI, *ac pulchram illam cutim cogitatione adimens, explora quæ ſub ea ſita ſint.* Sola in ſuperficie pulchritudo eſt, tolle cutem, & quem, aut quam venuſtiſſimum, venuſtiſſimamque putabas monſtrum eſt. Quàm ingenioſa, & in noſtram vtilitatem prouida diuina ſapientia eſt, in nuda ſuperficie corporis pulchritudinem locauit, ne quis firmas in illa radices figeret; ad animæ venuſtatem tranſiret, quæ totam afficit animam, totam peruadit.

Cui exſtima pulchritudo placet, 30
ad internam eat, quæ verior, quæ perfectior, quæ amari purius po-

teſt. *Non poſſumus reprehendere diuini artificis opus: ſed quem delectat corporis pulchritudo, multò magis* ILLA DELECTET VENVSTAS, *quæ ad imaginem Dei eſt intus, non foris comptior.* Ita ſentiebat Sanctus Ambroſius, cuius ſi ſequamur monitum, pulchriores à ſpectata pulchritudine euademus. Vtile quoque eſt, quod offert Clemens Alexandrinus, dum ad mentis venuſtatem nos vocans, ita ſcribit: *Ei autem, qui pulcher eſſe velit, quod eſt homine pulcherrimum, ornandum eſt, nempè mens, quam oportet quotidie* PVLCHRIOREM, *& magis decoram oſtendere.* Quàm fatui, qui toti in cute corporis polienda ſunt, & animæ pulchritudinem omninò negligunt! Vt fœmineæ leuitatis ſit artem omnem in corporis venuſtate quærenda, augendaque impendere, ſic virilis eſt mentis mentem exornare; mente non videtur ornatus, qui mentem non ornat, ſed corpus dumtaxat.

Mira corporis eſt fabrica, ſed non ita efferenda, vt non vlterius eatur, pergendum ad animæ pulchritudinem eſt, quæ in virtute eſt ſita. Hinc non caſu factum, vt hominem Deus formans eius formam non extulerit, nec corporis tam admirandam laudarit fabricam, ne laus nos ſiſteret: volebat nos Deus ire mente ad mẽtis venuſtatem ſpectandam dum tacuit: *Ideò Deus,* inquit Sanctus Ambroſius, *non putauit* HOMINIS FABRICAM ESSE LAVDANDAM, *quia maior eius virtute eſt portio. Homo igitur mihi non tam vultu, quàm affectu admirandus emineat.* Non laudauit hominis corpus Deus, vt in quo vera eſſet laus ſita, ſic indicaret. *Pulchritudo ſine virtutibus,* ait Sanctus Chryſoſtomus, *eſt* PRÆCIPITIVM *patens,* VENENVM *inſipientibus compoſitum.* Igitur vt hoc præcipitium quiſque vitet, & hoc venenum vertat in medicinam, exſtimam pulchritudinem animabit interna, quæ à virtute dependet.

31 Virtutis habenda ratio, etiam cum de corpore agitur, nam vt aiebat Seneca, quis crederet Gentilem huc euaſiſſe? *Virtus magnum ſui* DECVS *eſt*, *&* CORPVS SVVM CONSECRAT; ille igitur ſatis pulcher, & ornatus eſt, qui pro medicamento ruboris, & candoris, *virtutis*, vt quidam ait, COLORES *habet*. Hi colores ſi abſint, cæteri maculæ ſunt; & hoc præſtant vt anima ſua pulchritudine deſtituta deformior appareat.

Aliud præterea corporis pulchritudo monitum offert; pende in quo ſita illa ſit, & mediocritatis formam habes, dum corporis formam ſpectas: *Vt corporeæ pulchritudinis norma, membrorum apta proportio eſt: ita etiam extrema ſpiritualis pulchritudinis linea in virtutum* MEDIOCRITATE *conſiſtit*. Sanctus Iſidorus Peluſiota ita philoſophatur: Igitur extrema vitabit, mediam mediocritatis inibit viam, qui corporeæ pulchritudinis naturam expendet.

Porrò vt corporis venuſtas ab omnium membrorum concinnitate pendet, adeo vt vnius deformitas, aut carentia totam pulchritudinem afficiat, & inficiat, ſic & in anima accidit, nam à ſua pulchritudine excidit, ſi vel vnius vitij horror cæterarum virtutum vultum polluat. Deformitas plerumque ab vnius membri, vel minutiſſimi defectu eſt. Quod ſi ad mores transferamus, docemur minima quæq; maximi faciẽda eſſe, & ad perfectionis formam neceſſarias omnes eſſe virtutes. Docti auctoris hæc ſunt verba: „Sicut quocunque membro, vel minutiſſimo adempto, totum corpus quamuis ſit parua pars, quæ deſit toti figuræ, informe efficitur: Sic, qui vel vnam VIRTVTEM NEGLEXERIT, vniuerſum animæ decorem diſſoluit, ac delet. Nihil igitur ſperni debet; veram pulchritudinem qui amat, ex omnibus partibus eam coaleſcere ſciat; neſcio an integra ſit mente, qui decorem

mentis quærit, nec integrum ab omnium partium aptatione ſtudet conſurgere. Pulchritudinis vtilitates aliquas hucuſq; tetigimus, tangamus aliquas, quæ à deformitate ſolent prodire.

32 Deformitas in hoc commendanda, quod maximè vtilis caſtitati eſt, quæ inter pulchritudinis venuſtatem periclitatur. Benè Ioannes Euſebius: *Forma pudicitiæ* DEFORMITATE *citiùs ſeruatur, atque elegantia virtutis contemptibili fronte*; nec ſeruat tantum caſtitatem deformitas, ſed etiam auget, & venuſtiorem facit inuenuſta. Paucioribus inſidijs eſt expoſita, quæ minus eſt pulchra mulier, & tutior eſt, quò deformior. Peritè Sanctus Chryſoſtomus: *Porrò eam quæ decorè caruerit, impedimentis plurimis* LIBERAM *facilè inueniemus: neque enim illi infecti ſunt eiuſmodi* PVLCHRITVDINIS AVCVPES, *ſed veluti agnus ſimplex in quiete, atque in ſilentio paſcitur, lupo nullo perturbante ipſius otium*

tium, ſed ſemper ſibi aſſidente paſtore, & ab huiuſmodi incurſibus protegente: ita nihil profectò habet amplius, quæ formoſa fuerit, quàm quæ deformis: neque hanc illa vllo priuilegio ſuperat, ſed ea merito plus habere dicitur, quæ merito virtutis excellit. Rem ad virum transfer, nam eadem ab hac parte vtriuſque ſexus eſt ratio; à multis eſt periculis liber, qui deformis, quibus ſubiacet, qui pulcher.

Si pulchritudinem, deformitatemque inter ſe conferamus, deprehendemus pluribus illam nocuiſſe, quàm iſtam; Hipponactis poëtæ iambographi deformitatem, vt refert Plinius, ſuis tabulis expreſſerunt Bubalus, & Autherinus Pictores, eamque imaginem, quò notabili eſſet vultus fœditate, propoſuêre in ridentium circulis magno ſuo malo. Indignatus Hipponax vtrumque ſuis ſatyris, iambiſque tantò retaliauit fœnore, vt ambo laqueo ſe prefocauerint; ſed rarò iſtuc accidit, hoc frequens, ſpectatores

alienæ pulchritudinis noxij amoris laqueo capi; Hinc illud illius ex noſtris; LAQVEVS *ſæpè incautè viſa pulchritudo eſt*, quæ eò nocentior, quò curioſior ſpectatur. Innocens ab hac parte deformitas eſt, viſa nocere non ſolet, nec dictis Pictoribus nocuiſſet, ſi vidiſſent tantùm.

33 Ferunt Protheum Vulcani filium deformi facie adeo fuiſſe, vt dum illis, in quos incurreret, ridiculus eſſet, dolore affectus in rogum ſe coniecerit; Apage hanc amentiam, rem ſanctiori induere veſte potes, qui corpore deformis eſt in diuini amoris ignem ſe inijciat, vt eò intus venuſtior reddatur, quò foris deformior eſt. Verus ille: *Diuini amoris* IGNIS, *ſi animam corripiat, notam omnem tollit, & veram pulchritudinem animæ affricat*. Habet igitur vnuſquiſque, quo corporis venuſtatem, ſi deſit, aliunde ſuppleat, & deformitatem omnem, qua notabilis videtur, penſet.

CAPVT VII.

Ex ſuo corpore, ſuiſque membris quàm aptè, ac vtiliter informari homo poſſit.

Theſaurus ex agro humani *corporis* effodiendus. 34

Nulla melior *ſcientia*, quàm illa, qua *cognoſcit* homo ſe ipſum.

Ad *operationem* ſe natum, ex ſuis *membris* diſcere homo poteſt.

Membra Deo vero *conſecranda*. 35

Ad mutuæ *charitatis* obſeruantiam nos *membra* noſtra informant. 36

In ſuis *membris* quilibet legit, quid præſtare in *proximum* ſuum debeat.

In aliorum *ſalutem* periculo ſe exponere à ſuis *membris* fideles diſcant. 37

Membrorum vnitas, & conſenſus ad mutuum nos *amorem* vocat.

Tunc præcipuè *proximus amandus*; cùm nos non amat.

A *Chriſti* corpore *ſeparari* quiſque timeat. 38

Terrenarum *opum* rectum vſum, vt corporis *membra* doceant.

Nullus *membrorum* exemplo monitus ſuum bonum alij *inuideat*. 39

A mutua *vindicta* nos *membra* noſtra auocant.

Membra nobis Chriſtus *locauit*, vt fructus non ſpinas parturiremus. 40

Membrorum ſanctimonia haud *profananda*.

Interior cordis *homo* totus *ſapientiæ*, & gratiæ ſit. 41

Ad Diuinorum *præceptorum* obſeruantiam à ſuis *membris*, vt homo vocetur.

34 SI quiſpiam ſciret alicubi theſaurum latere, quàm ſedulus accurreret, vt terram foderet, theſauro potiturus? Diligentia iſta negligentiam noſtram arguit, qui

in

in corporis noſtri agro latentem theſaurum habemus, & fodere negligimus. Opportunè Guarricus Abbas: *Vellem*, inquit, *foderes intra te. Solent namque pretioſi latere theſauri in abditis terræ. In agro abſconditus erat theſaurus ille, qui deſiderio ſui compulit hominem omnia ſua vendere. In agro ſe dicebant theſauros abſconditos habere decem viri Iſraelitæ, & per hoc gladium euaſerunt homicidæ. O quanti theſauri bonorum operum, quantæ diuitiæ piorum fructuum abſconditi* LATENT IN AGRO HVMANI CORPORIS, *& quanto plures in abdito cordis, ſi modo ſit qui exerceat, & fodiat*. Nemo ſibi tot bona inuideat; vertat mente ſuum corpus, ſua membra verſet, & vtilia monita, quibus diteſcat, inueniet.

Quid? laborem ipſum minuo, vt libentiùs labores; non ad intima tua te mitto, vt fodias, & theſaurum inuenias, potes & in ipſa membrorum ſuperficie ſiſtere; abſque eo, quod corporis tui terram verſas

tas reperies, quibus animam dites, ſi tamen animum aduertas. Notum hoc Apoſtolo fuit, qui non ſemel vitalia, ſalubriaque monita non aliunde ſumit, quàm ab exſtima humani corporis ſtructura, membrorumque vſu, tacitè docens, poſſe hominem à ſe ipſo diſcere, qualis eſſe debeat, & à ſua ipſius forma ita informari, vt reformari etiam queat.

Notitia iſta, qua homo in ſe ipſum fertur, eò cæteris eſt melior, quò melior huius ope fieri homo poteſt. *Multæ ſunt ſcientiæ hominum*, ait Vgo Victorinus, *ſed nulla melior eſt illa*, QVA COGNOSCIT HOMO SE IPSVM; quod ad notitiam quoque porrigo, qua homo circa ſuum corpus philoſophatur, & ex corpore elicit monita, quibus anima inſtruatur; gratiora erunt hæc monita, quò magis noſtra, & ex nobis nata, & fortiùs hærere poterunt memoriæ, quò frequentiùs nobis offeruntur ea, quæ illa offerunt. Scilicet no-

biſcum

biſcum ſcholam ferimus, dum membra ipſa circumferimus; domique ſemper præceptorem habemus, qui docet etiam cum ſilet.

Sed rem diligentiùs libremus. In 35
primis tota humani corporis fabrica ita eſt conſtituta, vt operationem tantùm ſpectare videatur. Verum illud Medicorum eſt: *Totius fabricæ humanæ finis eſt* ACTIO. Licet aliunde homo ad operationem non vocaretur, nuda corporis formatio auocare illum à torpore, otioque debebat, ad opus vocare, & ad laborem. Vt hominem ſe eſſe neſciat, qui otium amat, ab operatione ſe ſubducit.

Spectent omnia membra ea opera, quæ Deum, Deique cultum ſpectent, omnia in Dei ſe obſequium exerceant, vt Deo vni ſe probent ſacra. Hic error Gentiles corripuerat, vt putarent; verba Fulgentij ſunt: *Singulas partes in homine Deos ſingulos obtinere; vt Iouem caput, Mineruam oculos, Iunonem brachia, pe-*

ctus

ctus Neptunum, cinctum Martem, renes & inguina Venerem, pedes Mercurium; homo cenſeri non debet, qui de hominis membris ita ſenſit, partemque in ſapientia non habet, qui de humanis partibus ita credit; Vnus, & verus Deus omnes partes continet, vnius, verique Dei cultui dicari debent omnes partes.

Membra omnia vni conſecremus Deo, tunc verè noſtra futura, cùm illius erunt obſequio mancipata. Totum ſibi habeat, qui totum fecit: Opportunè Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Omnia membra quæ ſunt ſuper terram Deo demus*, OMNIA CONSECREMVS, *non autem fibram ſolùm hepatis, non renes cum adipe, non partem quendam corporis, non hoc, aut illud (cur enim alia contemnamus?) verum nos totos offeramus: ſimus holocauſta ratione prædita, victimæ perfectæ: nec brachium ſolùm, aut petuſculum Sacerdoti attribuamus (nimis enim paruum hoc fuerit) verum nos ipſos totos Deo in munus offeramus, vt nos*

nos totos recipiamus; Quandoquidem hoc eſt planè accipere, Deo donatum eſſe. Vt videatur ſe non habere, qui ſe Deo integrè non donauit.

Sed à corpore membra inter ſe 36
conferamus. Iſta Deus ita diſpoſuit vt vnum alteri ſeruire poſſet, & mutuo ſe auxilio fouere. Specta ſingula membra. Diceres alterum alteri natum, mutuæ haud dubiæ charitati commendandæ. Religio eſſet hîc præterire, quæ Petrus Bleſenſis habet; pluſcula licet ſint, ſunt tamen omnia exhibenda, ne venuſtatis aliquid, ac vtilitatis, ſi aliquid eliderem, elideretur: *Illud*, inquit, *in proximi dilectione notetur attentiùs, quod ipſa natura corporis noſtri* AD MVTVÆ CHARITATIS OBSERVANTIAM NOS INFORMAT. *Multi enim vnum corpus ſumus, alter verò alterius membra, vnus autem ſpiritus vniuerſa membra viuificat, eorumque compages mutuis obſequelis, & alterna compaſſione conciliat. Oculus non ſolum*

lummodo ſibi videt, ſed dirigit greſſus pedum, os non ſolùm ſibi comedit, nec ſtomachus ſibi ſoli digerit, ſed vtrumque communi vtilitati membrorum deſeruit. Lingua ſi quod membra læditur: moleſtiam illius compaſſionem ſuam faciens; lædentem redarguit dicens: quid me lædis? tot de communi vtilitate ſollicitum, conſilia membris omnibus profutura diſponit. Manus quæ nec famulari quandoque membris abiectoribus erubeſcunt, ſe in vſum publicæ vtilitatis exercent, quod ſi manus vna caſu aliquo forte lædat alteram, illa quæ læſa eſt, non repercutit, nec ſe erigit in vindictam. Manus autem quæ lædit quaſi ſe ipſam accuſans, remedia meliora, quæ poteſt, læſæ ſorori apponit, & ex humilitate, & ſollicitudine ſua ſibi indulgeri poſtulat, & omnem ſuſpitionem malitiæ ſtudio ſollicitæ compaſſionis eliminat. Vides vt omnia membra in aliorum auxilium facta videantur? Audis vt omnia ſui exemplo ad proximi dilectionem nos vocent?

In ſuis igitur membris legat quilibet, quid præſtare in proximum ſuum debeat. Scitè rem verſat Sanctus Macarius, cuius hîc verba implanto, & ſunt iſta: *Quemadmodum* CORPORIS MEMBRA *cum multa ſint vnum ſunt corpus, & ſe mutuo iuuant, ac vnumquodque proprio fungitur officio: verbi gratia, oculus pro vniuerſo corpore videt, manus pro omnibus membris operatur, pes quocumque pergens ambulat circumferens vniuerſa membra, & nihilominus aliud membrum compatitur:* SIC ET FRATRES SIBI INVICEM CEDANT: *neque is qui precatur operantem damnet, quod non precetur, neque qui operatur, orantem condemnet, inquiens: ille quieſcit & ego operor. Neque qui miniſtrat alterum iudicet, ſed quiſque cum agit quippiam, ad gloriam Dei faciat, qui legit, orantem amore, & gaudio complecti debet, ſecum hoc reputans, quia pro me precatnr; & qui orat, ita de operante cogitet, nempè quod facit ille, in communem vtilita-*

tem peragit. Sicque fiet, vt nemo damnare alium iure poſſit, & iuſtè debeat.

37 Parum eſt vnum membrum agere pro alio, pro alio operari, etiam patitur, aut certè ſe periculo exponit, vt aliud eximat. O idem inter ſe fideles præſtarent, & quod à ſuis membris fieri vident, facerent inter ſe, vnus pro altero quodlibet ſubire periculum non timeret. Peritè vt ſolet Beatus Laurentius Iuſtinianus: *Sicut* VNVM MEMBRVM *læſioni ſe exponit pro alio, ſic* & NOS AGERE *debemus*. Et cur non idem præſtet in nobis charitas, quod in nobis efficit natura? Timendum maximè illis eſt, qui pro alijs ſubire, cum id neceſſitas vrget, periculum timent.

Ipſa præterea membrorum vnitas, & conſenſus ad mutuum nos amorem inhortatur. Benè Sanctus Auguſtinus: *M*EMBRA, inquit, NOSTRA *in corpore noſtro* CONSENSIONE *faciunt vnitatem, conſenſione*

inui-

inuicem connectuntur. Vbi diſſenſio, ibi morbus, aut vulnus eſt. Ergo membrum tuum eſt, diliges eum. Amant ſe hominis membra, & non amabunt ſe homines nobilioris corporis membra nobiliora?

Tunc verò præcipuè amandus proximus eſt, cum nos non amat, ſed odio proſequitur; hoc quoque membra ipſa corporis docent, nam erga illud maior impenditur cura, quod eſt ſcindendum, molliuſque tractatur, cum indiget ſecari. Idem hîc fiat. Meretur abſcindi, quin odio tui à te quærit proximus ſeparari? mollius tracta, ardentius ama. Hùc faciunt quæ habet Sanctus Chryſoſtomus: *Si quando amare te noluerit, tum maiorem etiam dilectionem oſtendito, quatenus ipſum attrahas. M*EMBRVM *ſiquidem eſt. Membrum verò ſi neceſſitate quapiam à reliquo fuerit corpore abſcindendum, nihil non molimur, quò illud vniamus iterum, itaut nunquam maiorem curam impendamus:* ITA

TIBI

TIBI QVOQVE FACIENDVM. *Nam tum demum maior expectanda tibi merces eſt, quando diligere recuſantem attraxeris.* Ad amorem igitur proximi exſtimulat, quod auocare ab illo prima fronte credebatur, & dilectionis eſt materia, quod putabatur impedimentum. Amare ardentius debes, qui te non amat, & strictius illi adhærere, qui ſe à te ſeparat, aut ſeparabilem mundanorum mente probat, dum non te amat.

38 Præterea hoc ipſum, quod quodlibet membrum maximè vitat, maximè timet à reliquo corpore ſeparari, tacitè quemlibet monet, ne à Chriſti corpore odij, & diſcordiæ veluti ferro ſe ſinat abſecari. Benè Beatus Laurentius Iuſtinianus: *Quia*, inquit, *videmus vnum* MEMBRVM *timere ab alijs ſeparari: ſic nihil debet tàm formidare Chriſtianus*, QVAM SEPARARI A CHRISTI CORPORE: *ex quibus patet modus dilectionis, quàm erga proximum habere debemus.* Timent

membra à corpore ſeparari, & Chriſtianus adeò non timebit, vt ſpontè hanc ſeparationem eligat, atque etiam faciat?

Hoc quoque in membris expendo; non licere homini pro libito ea reijcere, & à reliquo corpore abiungere, cum in illa plenum ius non habeat, licet videatur habere. Quod in eos torquet Beatus Aſterius, qui plenum ſibi rerum externarum dominium vſurpant; Præſtat eius verba audire, & ſunt iſta: *Nec ipſius noſtri corporis domini ſumus; ſed Oeconomi tantum, ac diſpenſatores, quicquid enim legibus, ac præceptis adſtringitur, ipſi ſubditum, & obnoxium eſt legiſlatori. Quod ſi igitur ne ipſæ quidem corporis noſtri partes, ac membra libera, ſuique iuris ſunt, ſed voluntate Domini ad functiones ſuas diriguntur, & gubernantur? quid his dicemus, qui ſibi perſuadent, auri, argenti, agri, cæterarumque rerum* PLENAM SE POSSESSIO-

SESSIONEM, MERVMQVE DOMINIVM HABERE? *nihil omninò tuum, ò bone: tu ſeruus es, & omnia tua Domini, quia ſeruus liberum peculium non habet.* In meliores vſus opes mortales inſumerent, ſi hac regula vterentur, à ſuiſque membris diſcerent, non plenum ſe rerum terrenarum habere dominiũ. Quod ijs opportunè occinatur, qui ſua dilapidant, & pauperum, egentiumque obliti, diuitias in inutiles, noxioſque vſus profundunt.

39 Aliud nec minus ſalutare monitum exhibent membra, dum ſcilicet diuerſa munia licet exerceant, & aliud alio nobilius, non tamen vlla tanguntur inuidia. Hanc eandem mentem ebibere quiſque debet, adeo vt non ſinat ſe inuidia corripi, cum videt proximum ſuum ſublimiori gratia donari, nobiliori dono inſigniri, quàm ipſe inſigniatur. Feſtiuè rem vrget Beatus Laurentius Iuſtinianus, cuius hæc obſeruatio eſt, hæc verba ſunt: *In hoc,*

quod vnum membrum NON INVIDET *alio membro: licet non habeat idem officium. Non omnia namque eundem actum habent membra: nec tamen ſibi inuicem inuident:* SIC NEC DEBET ALIQVIS INVIDERE PROXIMO SVO HABENTI GRATIAM, *quam ipſe non habet.* Nec inuidere tantùm illi non debemus quod habet, ſed gratulari quòd habeat, vt gratulatione noſtrum eſſe incipiat, quod ſine illa alterius eſt, & noſtrum hac ſola ratione, quia nos ferit; hoc quippè inuidia facit, vt quò maior eſt, eò grauius inuidia correpti mentem alterius bonum excruciet, & veluti cruentet.

A mutua quoque vindicta nos membra noſtra auocant; Si enim accidat vt vnum membrum lædatur ab alio, ab alio feriatur, non videmus hoc in illud inſurgere, aut aliquid præſtare, quod vindictam ſapiat. Feriat, aut percutiat manus manum, manum percuſſam percutientem repercutere, ac ferire quis

vnquam vidit? Cur idem in proximum ſuum fideles non præſtent, quod in membra, membra præſtant? A probo calamo monitum iſtuc eſt, ab eodem ſcilicet doctore, qui moribus pondus ſuis verbis fecit, & ſanctitate ſcriptionem exornauit: *Cùm vnum*, inquit, *membrum ab alio læditur non* SE VINDICAT, *ſic debet eſſe inter fideles*; alioquin hoc eſt titulo indignus, qui læſus ad vindictam ſtatim cogitat, & vix tactus tangitur ira, in lædentem inſurgit, vindicta maius ſibi damnum creas, quàm inferre alius potuerit.

40 Seruant ſuas leges membra, non ſeruabit ſuas homo, illis amplius ligatus, quò magis liber? Quid hîc illi, qui Dei leges violant, & ipſis membris vtuntur vt abutantur? nimirum membris Deum lædunt, quibus ei ſeruire deberent; beneficia ipſa in arma, quibus benefactorem feriant, conuertentes. Donauit nobis Deus membra, aut aptiùs loquar, locauit, vt excoleremus, illum il-

lis coleremus, fruges, non ſpinas produceremus. Aurea verba ab aureo ore accipe, ita enim philoſophatur Sanctus Chryſoſtomus: *Hæc tibi* LOCAVIT CHRISTVS, NON VT FERAS SPINAS, *ſed vt conuertas ſemina ad id quod eſt vtile: non vt arrogantiam, non vt dolum, ſed vt humilitatem, & laudem, ac benedictionem, vt dilectionem facias per ea germinare, & dedit oculos, non vt impudicè aſpicias: ſed vt ipſos ornes temperantia: & manus non vt ferias, ſed vt miſerearis, quomodo autem dicis, labia noſtra ſunt apud nos, quando ea peccati ſerua feceris, quando fornicationis, quando immunditiæ? quis eſt noſter Dominus? ò verbum diabolicum?* Suus non eſt, qui ſua credit eſſe, & à ſe habere quæ, & Domini ſunt, & à Domino ſunt, atque adeo illi ſacra eſſe par eſt. Vt iure bonus quidam auctor inclamarit: *Ad Garamantas ergo, & vltimos Indos exulent, qui* MEMBRORVM SANCTIMONIAM PROPHANANT; *manus rapinis, pedes*

inſidijs, oculos laſciuia, calumnia linguam, aures nugis, cerebrum ſtultitia, ventrem voluptatum obſcænisſimis ſeruitijs. In Regno Dei partem habere non meretur, qui corporis ſui partes ita temerat, atque prophanat.

41 Denique ſi exteriorem hominem ſpectas in plura diducitur membra, multis partibus perficitur, cùm interior magis ad vnitatem accedat, vt vel hinc diſcamus noſtrum eſſe ad vnitatem tendere, vt quàm maximè poſſumus ad animæ accedamus perfectionem: *Exterior homo*, inquit Sanctus Ambroſius, *plurima in ſe membra habet*, INTERIOR AVTEM CORDIS HOMO TOTVS SAPIENTIÆ *eſt, plenus* GRATIÆ, *plenus decoris*. Nimirùm, qui diuiſionem amat, corpus refert; qui vnitatem, animam, ac ſpiritum. Niſi quod extima partium multiplicita bonorum operum multitudinem ſuadet, clamatque, vt pluribus Diuinæ legis præceptis reſpondeamus, adimpleamus omnia, omnia perficiamus.

ciamus.

ciamus. Rabbi Moſes, vt hoc quoque ex Hebræorum ruderibus offeram, obſeruat in Dei lege præcepta negatiua fuiſſe ducenta decem, & octo ſecundùm numerum membrorum humani corporis, vt etiam ab hac parte quilibet moneretur, membra ſua ſpectans, ne Dei præcepta temeret, violetque tanquam in ſuis membris homo legeret, quid caueret, ſicque ad Diuinorum præceptorum obſeruantiam vocaretur obſeruans ſua membra. Abeunt ab hac mente, qui ſuis membris adeò ad Diuinæ legis obſeruantiam non ſinunt ſe allici, vt potiùs ijs vtantur tanquam inſtrumentis, quibus in Diuinam legem peccent, eamque, quantum in illis eſt, euertant. Saniora, ſi ſapis, conſilia, bibe, membrorum vſus iuſtitiæ ſeruiat; nimis eſt iniquus, qui quæ iuſtitiæ cultui erant deſtinata, vertit demens in arma iniquitatis.

CAPVT VIII.

Alia, eaque vtilia ex membris monita colliguntur.

Corporis *membra* Dei *ſymbola*, & Diuinitatis *veſtigia*. 42

Hieroglyphicis notis homo inſignitus; Tactus Salomon.

Ab *otio*, & *ignauia* nos *membra* noſtra auocant.

Membrorum nexus docet in ſacris *familijs* vnius *lapſum* redundare in reliquos. 43

Vnus alteri *oneri* ne ſit, *membra* ipſa docent.

In aliorum *auxilium* nos natos *membra* noſtra clamant. 44

Nullus alium *decipiat*, *ſcandalo* alijs ne ſit.

Nemo tam *magnus*, qui aliorum ope non *indigeat*. 45

Membrorum integritas quid tacens clamet.

Alteri, & maximè *Chriſto*, vt *compatiatur*

patiatur homo, hominis *membra* docent. 46

In *proximi* lapſu proximo *condolendum*.

Malum alteri non *imprecandum*, lex *membrorum* homini indicit. 47

Quilibet ſit ſua ſorte *contentus*, nec alterius bonum alteri *inuideat*.

Iactantia vitanda.

De alterius bono *membrorum* exemplo *lætandum*. 48

Inuidentiæ remedium corporis *membra*.

Fraternæ *charitatis*, & *amicitiæ* exemplar in *membris*. 49

Iniurijs affectus de *vindicta* non cogitet.

Superiorum delicta nocentiora, quàm aliorum. 50

Nobiles facilè læduntur.

Membra tamquam aliquid *Sacrum contrectanda*.

42 Siue in ſe ipſa ſpectemus membra, ſiue vt inuicem collata, vtilia monita afferent; aliqua hîc præter ea, quæ obtulimus, offeremus, vt obuium lectori ſit, alia ex ſe elicere, alia ex ſuis membris ad mores informandos educere. Epictetus, vt hinc exordiar, in humano corpore *Dei ſymbola* animaduertebat, & veſtigia clara diuinitatis, vt non difficile à ſui corporis conſideratione ad Deum homo efferatur. Et ſanè vt nobilis ille auctor aiebat, corporis partes omnes, quaſi MYSTERIIS conſecratæ magnis ſunt, & à Deo prouidentiſſimè figuratæ, in quibus velut in ſacris Ægyptiorum litteris arcana diuina poſſint intelligi. Quare Salomon cum de ſui corporis ſtructo opificio, & compoſitione diſputat: In ventre, inquit, matris figuratus ſum caro. In Græco eſt, ſculptus ſum, diuina manu HIEROGLYPHICIS VELVTI NOTIS inſignitus, admirabiliter effigiatus, arcanæ

canæ prouidentiæ ſymbolum, effectricis omnium ſapientiæ clarum argumentum. Plus igitur quàm in ſuo corpore videat intelligere, & cogitare homo debet, & per ea, quæ extimè apparent, occulta, & arcana ſubire.

Membra hominis ſpecta, nihil in humano corpore ignauum reperies, nihil non alicui deſtinatum vſui. Pulchrè ille cecinit:

Libet imprimiſq; fateri
IGNARVM humano non eſſe in corpore quicquam,
Omnia ſed varios constructa decenter ad vſus.

Refert te ipſum, te ipſum ſequere; dedecet ignauum eſſe, qui ignauum in ſe nihil habet. Cur anima admittat, quod non admittit corpus, quod corrigere illa deberet, & emendare ſi torperet? Iſtuc idem ad Republicã transferamus, & ad familias, vt nullus in illis otioſus ſinatur reſidere. „ Quemadmodum, boni auctoris ſunt ver-

ba, in corpore humano natura nullum patitur membrum OTIOSVM: Sic Principes, deſides, ac ſomnolentos homines à Ciuitatibus eijcere, ac exterminare tenentur. Huc ſpectat, & illud illius rem eandem expendentis, & ad ſingulares etiam domos coërcentis: *Vt nulla particula in corpore eſt* INVTILIS, *ſic in familijs præſertim ſacris non facilè otio torpentes ferantur*, ne exemplo ſuo alijs noceant, & ad paria ſpectantes prouocent; nec enim torpere torpentis exempla ſolent, multum operantur mali, qui negligunt operari.

43 Membra affecta non ſui tantùm cauſa curantur, ac cuſtodiuntur, ſed & aliorum, quæ ſana; cùm in alia facilè reſiliat morbus, quo vnũ corripitur; hoc ad eos transferas, qui in ſacris familijs, ac ſocietatibus degunt, in quibus vnius lapſus redundat in reliquos. Cogitemus, inquit pius ille pater filios ſuos alloquens, ex nobis vniuerſis corpus

vnum coagmentari, eamque eſſe membrorum inter ſe conſenſionem, vt vnicuique pertimeſcendum ſit, ſuo ſi vitio in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi. Rem deinde Achami exemplo firmat, cuius ſolius furtum toti populo fuit exitiale. Quamuis vnius eſſet ſacrilegium vniuerſos tamen (vt annotat Auguſtinus) afflixit, ac percuſſit: Vnde non inquit, ſe ſolum quiſque curet in populo, ſed inuicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis ALIA PRO ALIIS SINT MEMBRA SOLICITA. Quo ſanè pacto ſempiternus iudex indicauit, quanta ſit ſingulorum in aliquo cœtu, ac ſodalitate communitas, cùm eorum nullus ſeorſim cenſeatur ſolus, ſed ſinguli ſint quarundam partium inſtar in toto. Vides, inquit Chryſoſtomus, quomodo vnius peccatum toti populo vindictam accerſit. Vt igitur omnibus conſulamus, ſingulorum cuſtodia, cura-

que habeatur; noxia cæteris vnius eſt lues, & alios morbus afficit, quo vnus afficitur.

Sed alia etiam ratione, nec ſine compendio conferre inter ſe membra poſſumus. Hoc miri membra„ & ſingulæ partes habent, vt NVLLA ALTERI SIT ONERI, licet alia aliam ferat. Tot oſſa in ſuo corpore homo habet, & nullius pondus ſentit, ac ſi nullum haberet; quæ res hoc docet, vnicuique ita viuendum, vt alteri oneri non ſit, nullum premat, nulli officiat, denique ita ſit, non ſecus ac ſi non eſſet, ſi onus ſpectemus.

44 Parum eſt membra membris non eſſe oneri, iuuare ſe mutuo debent, & alterum alterius commodo inſeruire. Hæc membrorum eſt ratio, vt in ſua operatione non commodum tantùm ſuum ſpectent, ſed & aliorum. Idem in ſuum proximum quiſque præſtet, auxiliarem manum indigenti admoueat, eoſque præcipuè iuuet, qui purgatrice

ce igne torquentur, cùm nullum ſibi poſſint auxilium ferre. Benè Raulinus: *Sicut oculus non ſolùm videt ſibi, ſed pedi, & manus, non ſolùm operatur ſibi, ſed ori, imò totum corpus quantum in ſe eſt ab incommodis protegit, & pes non ſolùm portat ſe ipſum, ſed & corpus totum, ſic debemus eſſe ſoliciti, non ſolùm pro nobis, ſed etiam* PRO PROXIMIS NOSTRIS, *& maximè defunctis*. Vix dicas viuere, certè in eo pietas non viuit, qui mortuorum negligit curam, & ſemel ſepulchro tectos, quodam obliuionis condit ſepulchro.

Membrum quodlibet aliud adiuuat, ſed mirum vnum aliud non decipit, fidelem operam præſtat, nullum alij mentitur, nec vnum aliud fallit. Habet quilibet vt à ſe diſcat, deceptionem vitare, fraudes, inſidiaſque. Nobis bonus auctor præiuit. „ Vt vnum membrum non mentitur alteri, non decipit alterum, ſed quodque alteri fidele eſt, illudque ſincerè adiuuat, quantum

poteſt; manus non decipit pedem, non obijcit ei ſcopulum, in quem impingat, & cadat, ſed potiùs admonet; curatque ne pes fallatur: ita & Chriſtiani ſinguli, qui ſumus inuicem membra, neminem decipere, ſed omnibus fideles eſſe, omneſque fideliter, & ſincerè adiuuare debemus. Vnius ſe capitis membrum mentitur, qui mendacia aſſuit vt commembrem fallat, & ei ſcandalo ſit. Pergo, & alia à membris elicio.

45 Membra omnia cæteris indigent membris; ſic in hominum cætu accidit, nemo tam magnus, tam excellens, tam diues, ac potens, qui aliorum ope non indigeat, atque adeo nullus ſpernendus eſt; Benè ille: Sicut nullum eſt in corpore animato membrum, quod citra ALIORVM SVBSIDIVM cohæreat: ſic in reipublicæ corpore, nullus homo inuenitur, qui alio non indigeat. Sperni ab omnibus meretur, qui omnes ſpernit, & men-

te maximè indiget, qui alios ita ſpectat, tanquam nullo indigeret, nec aliorum auxilium eſſet quæſiturus.

Membrorum etiam integritas tacitè inclamat, vt in omnibus virtutibus nos exerceamus, negligamus nullam, vt enim vnius membri carentia aliorum decorem obtundit, inficit cæterorum venuſtatem, ſic accidit in virtutum, vt ita loquar, corpore, ſi vna deſtituamur. Integros nos volebat Sanctus Iacobus cùm diceret: *Vt ſitis perfecti, &* INTEGRI *in nullo deficientes*. Ex Græco aliqui legunt: *Vt ſitis omnibus iuſtitiæ membris conſtantes, & in nulla eius parte diminuti.* Vnius membri deformitas in alia reſilit, & vnius virtutis priuatio alias deuenuſtat. Igitur ab omni parte perfectus, integerque ſit, qui verum virtutum decorem amat. Benè Apoſtolus: *Vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu;* corpore dixit vt ad omnia membra ſanctitatem extenderet; *ſpiritu,*

vt ad omnes animæ facultates, & potentias porrigeret puritatem. Opportunè rem expendit Sanctus Hieronymus: *Non dixit*, inquit, *vt ſit ſancta* MEMBRO, *aut corpore tantùm, ſed vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* MEMBRVM *enim vna corporis pars eſt*, CORPVS *verò omnium compago eſt membrorum. Cùm ergo dixit, vt ſit ſancta corpore*, OMNIBVS MEMBRIS EAM SANCTIFICARI DEBERE TESTATVR, *quia non proderit ſanctificatio cæterorum membrorum, ſi inueniatur in vno corruptio*. Eadem & ſpiritus eſt ratio, mentis omnes facultates litare ſanctitati debent, innocentiæ omnes deſeruire, ne vnius defectus redundet in alias.

46 Sed placet audire quæ muta, ſilentiaque membra docent, dum dolore aliquo afficiuntur. Hæc membris indicta eſt lex, quam dum ſeruant, indicunt, vt ſi contingat aliquod aliquo dolore corripi, illius ferè obliuiſcatur, ſi aliud maior inuadat,

uadat, totumque in grauius laborantis auxilium currit, tanquam ipſum dolorem non ſentiret. Cur non totus homo in totum hominem præſtet, quod membrum in membrum facit? Aliorum dolores noſtros minuant, & aliorum labores alleuient noſtros. Rem ad Chriſti paſſionem, quæ cogitata omnium dolorum leuamen eſſe poteſt, ſic pius auctor extendebat: Membra per patientiæ, & compaſſionis exemplar SE MVTVO CONFORTANT, & dolor maior alicui membro ſuperueniens dolorem minorem alterius membri mitigat, & eius paſſionem alleuiat, vt non adeo grauiter ſuum malum membrum ſentiat, dum membri altero compatitur, quod grauiori corripitur; ſic Paſſio Chriſti conſiderata debet dolores, & labores noſtros alleuiare. Igitur qui leui dolore tentatus in querelas erumpit, & ferendo non eſt, apertè prodit ſe Chriſti ſui dolores nec ſentire, nec cogitare. Vis dolorum, labo-

laborumque vim obtundere? Quæ Chriſtus eſt paſſus cogita, & illius exemplo, martyres. Remedium in tuis malis habes aliorum grauiora mala, quæ tua leuiora reddent, ſi ea tanquam tua reſpicias, feras tanquam tua.

Prętere membrum aliquod ſi dolore afficiatur, & doleat, in illo cætera torquentur, vt ſtatim de remedio omnia laborent. Hinc illud Tertulliani: „ *Non poteſt corpus de* VNIVS MEMBRI VEXATIONE LÆTVM AGERE, *condoleat vniuerſum, & ad remedium collaboret, neceſſe eſt*. Quæ res clamat, in proximi noſtri caſu, ac calamitate, dolore corripi nos debere, vt tamen de remedio cogitemus, tanquam ſi de re noſtra ageretur, cùm agitur de aliena.

47 Hic non ſiſtit mutuus membrorum affectus; non ſolùm in aliorum dolore alia cruciantur, ſed quod mireris, ſui cruciatu, & ſciſſione alijs opem ferri ſinunt, ſi præcipuum in corpore locum teneant, aut etiam

tiam ne morbus, aut labes ad vicina membra excurrat, affectum membrum ferro, igni, omnibuſque cruciatibus ſe exponit; in quo exemplum habes malum proximi non imprecandi, & non inferendi. Opportunè rem bonæ notæ auctor verſat, dum ait: NEC VNVM MEMBRVM ALTERI MALVM SVVM OPTAT, AVT INFERT: imò brachium ægrum patitur ſe abſcindi, ne vicina membra inficiat: eximi dens affectus, ne vicinos dentes putredine ſua corrumpat, tametſi id ſine magno dolore fieri non poteſt. Pari igitur lege NON IMPRECETVR VNVS ALTERI, multo minus inferat malum, quo ipſe cruciatur. In hanc legem illi peccant, qui vitia quibus ipſi laborant, alijs affricant, & exemplo malo ad mala cæteros trahunt. Sed alia in hac eadem membrorum noſtrorũ ſchola diſcere procliue eſt. Tantùm attentè audiatur, quæ membra ſpectatoribus ſuis offerunt, dũ offerunt ſe. In

In corporis membris vnumquodque ſua eſt ſorte contentum, nullum alteri nobilitatem ſuam, & excellentiam inuidet. Cur à ſe homo non diſcat inuidiam premere, cùm alium ſe feliciorem, ditiorem ſpectat, celſioremq; ? Benè ille: „Vnum membrum ALTERI NON INVIDET, licet eo nobilius ſit, & nobiliori loco; alterum humilius humiliori ſeruitio deputatum. Vnde Apoſtolus ait: Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? nunc autem poſuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit. Non inuidet pes oculo, quod is loco ſublimi ſtet, ipſe verò lutum perambulare debeat infimo loco conſtitutus: nec manui, quod hæc annulo veſtiatur, & armillis aureis, & ſuaueolentibus chirothecis, ipſe verò vili dumtaxat corio. Quare idipſum nobis etiam faciendum: non inuideat ignobilior gloriam, opes, dignitatem, aliaſque commoditates

nobi-

nobiliori: ſed cogitet ſe pedem, ipſum verò manum, aut caput à Deo conſtitutum eſſe in corpore Eccleſiæ. Audiant iſtuc; qui præferri alijs volunt, qui cæteris gloriam inuident, & à ſublimiori loco deijcere alios amant, vt ad illum ipſi euehantur.

In hoc mira Dei prouidentia in membrorum formatione apparet, dum ea quæ gemina æqualia fecit, & ad eandem menſuram aptata. *Obſerua*, inquit Cæſarius, *æquali menſura, & magnitudine manum dexteram cum læua eſſe, digitum cum digito, pedem cum pede.* Et ab his diſce menſuram ſeruandam, alioquin monſtrum erit, ſi quæ eius eiuſdem menſuræ eſſe debebant, vnus alium iactantia actus contendat enormiter excedere.

Specta ſingula membra; mētior ſi 48
non ab illis diſcis, quî liuôris omnis expers lætari de alterius bono debeas, non ſecus ac de tuo. Pulchrè rem verſat Beatus Laurentius

Iuſti-

Iuſtinianus ; dum ait : „ *Singula vniuerſorum bonum cupiunt, malum verò declinant, necnon de communi commodo* TAMQVAM DE PROPRIO COLLÆTANTVR. Cur in proximum homo non præſtet, quod membra in membra præſtant? Dolorem à nobis aliorum mala eliciant, lætitiam verò quæ bona, & læta in illis videmus. Huc facit & illud Sancti Chryſoſtomi, qui ita philoſophatur de hac re. *Si pulchri appareant oculi, ornatur tota mulier: ſicut ij quoque cùm & rectus naſus, & collum rectum, & alia membra laudantur, geſtiunt,* SVNTQVE LÆTI, ET ALACRES: *& rurſus affatim fundunt lacrymas, in eorum doloribus, & calamitatibus, etiamſi ipſi permaneant illæſi. Hæc ergo omnes cogitantes, imitemur horum membrorum dilectionem: neque contraria faciamus inſultantes malis proximi, & proximi malis inuidentes: hoc eſt enim furentium, & eorum, qui ſunt emotæ mentis. Etenim qui effodit oculum,*

lum,

lum, maximum indicium profert deſipientiæ; & qui manum exedit, inſaniæ planè prodit argumentum. Si autem quod fit in membris, hoc etiam ſimiliter fiat in fratribus deſipientiæ tribuit opinionem, & non vulgare damnum affert. Ad hanc regulam ſi hominum facta excutiamus, amentiæ nota plures laborare, deprehendemus, quos aliàs propitia ſapientiæ fama extulerat. Inuidus videat ſe, ſua membra ſpectet, & deſinet eſſe, aut pudore corripietur quod ſit; inuidentiæ remedium in ſui corporis membris reperiet.

Habemus præterea in noſtris mé- 49
bris amicitiæ veræ ſpecimen, fraternæque charitatis exemplar. Mutuo enim ſe membra amant, ſe iuuant mutuo, vt nec labor, nec infirmitas, aut debilitas amorem hunc aut tollat, aut impediat, quin perficiat potius. Beatus Laurentius Iuſtinianus de corporis membris loquens hæc habet: „ *Humani corporis quicunque prudenter voluerit conſide-*

ſide-

ſiderare miniſterium, maximum ſpiritualis eruditionis poterit reperire arcanum, *quo mediante* FRATERNÆ CHARITATIS *diſcet ſeruare vnitatem. Non labore attrita, non infirmitate laſſata, neque confecta ſenio mutuæ affectionis intermittunt opus*. Temporis diuturnitas adeo huic membrorum affectioni non officit, vt robur ei potiùs adijciat, ſicque quò infirmiora ſunt membra, eò firmior mutuus membrorum affectus eſt. In qua re hominum in amando inconſtantiam arguunt, damnant amoris imbecillitatem, qui tàm facilè delaſſatur, & læditur. Ad veræ amicitiæ nos cultum membra noſtra vocant, auocant ab omnis odij, hoſtilitatis, & vindictæ ſenſu.

Membrum vnum non ſæuit in aliud, nec caſu ab eo læſum ſe vindicat, vt hinc diſcamus, in proximum non ſæuire, nec iniurijs affecti iniurijs afficientes afficere. Opportunè ille: Tanta eſt vnio inter membra, quod propter mutuam

inter ſe colligantiam, ſibi ſunt inuicem compaſſiua. Vnde vnum membrum ab alio patiens, NON SE VINDICAT, ſed potius illud iuuat. Et ideò ſi vnum membrum fuerit læſum, ad ipſum confluunt humores aliorum membrorum. Sic etiam fideles Chriſti debent ſibi mutuo compaſſionem impendere de iniurijs, vel offenſis, NON VINDICTAM EXPETERE, ſed potius ſibi remittere, & dum aliquis patitur, alij debent occurrere ad iuuandum. Ægrè ſe à graui vindicet nota, qui iniuria aliqua affectus ſe vindicat, nec membrorum ſuorum more, quod læſa lædentibus membris parcunt, iniuriam inferentibus parcit.

In membris hoc quoque obſer- 50
uatum, ea quo vtiliora faciliùs, & vehementiùs lædi, & maioribus periculis obnoxia; quod ad ſuperiores transferamus, quorum ſublimior ſtatus efficit, vt maioribus diſcriminibus ſint expoſiti, lædantur faciliùs, faciliùs lædant. Benè ho-

nus licet nuperus auctor: Quantò membra ſunt nobiliora, tantò vehementiùs, & citiùs ſentiunt cuiuslibet læſionis moleſtiam. Vnde oculus grauiùs læditur modico puluere, quàm manus magno vulnere. SIC PECCATA, VEL DELICTA MAIORVM ET GRAVIORA, ET PERICVLOSIORA SVNT, quàm aliorum, tum propter ſtatum, tum propter ſcandalum: quod enim à maioribus delinquitur, facilè trahitur à ſubditis in exemplum. Læduntur facilè nobiliores, qui ferre vel vnius verbuli incautiùs prolati ictum nequeunt, & malè affecti malum in plures deriuant, cùm ſuadere videantur, quod agunt.

Denique vt hîc definiam, cùm Corpus Dei templum, Deoque ſacrum ſit, fit vt magna cum reuerentia ſit tractanda eius membra; hoc de alienis membris aſſerebat Sanctus Ephræm his verbis: *Membris alterius* REVERENTER, AC CVM TIMORE MANVS ADMOVETO,

VETO, QVASI REM ALIQVAM SANCTAM ATTINGERES. *Etenim verè ſanctum eſt templum Domini, & admirabile in iuſtitia, ſecundùm illud ſcripturæ: Neſcitis quia templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Iſtuc ad propria quoque membra flectamus, cùm hoc reſpectu ab hac dignitate non excidant, nec templum, reſque ſancta eſſe hac ratione deſinant; iniurij in ſuum corpus, inque ſua membra ſunt, qui illud, qui iſta adeo vt quidpiam ſanctum non ſpectant, aut tractant, vt potiùs illius, iſtorumque miniſterio in ſanctitatem arietent, & Dei templum impuris operibus diaboli conſtituant ſtabulum.

†

CAPVT IX.

Anima in homine quid hominem doceat.

Amor animæ comparatus, quia nunquam debet mori. 51

Terrena haud depereat *anima*, ne pereat.

Animæ vnitas vnicè cuſtodiendam docet. 52

Nimius *corporis* cultus *animæ curam* impedit.

Rebus omnibus *præferri anima* debet. 53

Corpus impendere quid *animæ* debeat, dum tot bona ab eius præſentia accipit.

Ab *anima* ſua homo diſcat ſe ſe *demittere*, & omnibus aptare.

Quod *anima* in corpore, hoc *Chriſtiani* in mundo. 54

Animæ noſtræ exemplo multa edere *opera* debemus.

Anima dum operatur, & non videtur

detur *iactantiam* fugiendam docet. 55

Inuiſibilis *anima* in inuiſibilem *Deum* nos ducit.

Veritas, & dilectio *animæ* vita. 56

Anima corpus viuificat; *virtus*, & ſcientia animam.

Ab imperio, quod in *corpus anima* exercet diſcat ipſa Deo *obedire*. 57

Animus corporis ſui rector.

Obtemperet anima ſedenti in ſe Deo.

Aurigæ munus vt in corpus *anima* exerceat. 58

Anima in corpus, & corporis membra *imperium* expenditur. 59

Non ex toto *ſani*, qui ex toto non ſibi *imperant*; nec totos ſe pietati dant.

CVm hominem homini obijciam, non fuit mihi integrum eam partem præterire, quæ in illo præcipua, & qua integer ſit. Anima quæ corpus informat multa exhibet, quibus anima ipſa informetur, ac inſtituatur. 51

Anima natura ſua immortalis, nos monet, vt amemus ea, quæ non moriuntur, nec depereamus peritura. Bonum aliquod inchoaſti? Perge, nec ab incæpto deſiſte. Amorem quidam animæ pariabat, quia ſicut illa mori nunquam debet. Cecinit Italica lira:

*Come l'*ALMA *è l'amor coſtante, e* FORTE.
Perche com' ella mai non viene à MORTE.

Quod de amore ille dixit transferre nos ad alia poſſumus, quorum magna, & ſuprema laus perſeuerantia eſt.

Si naturam ſpectes mori anima non poteſt, niſi quod quandam mortem ſubit, dum terrenis hæret, amat peritura; cùm ſpiritualis ſit amare ſpiritualia debet, naturam ſuam eiurare videtur, ſi in corporea feratur tantùm. Benè rem conficit Beatus Iſaias Abbas: *Quemadmodum*, inquit, *animalia terreſtria ſi in aqua demerguntur, intereunt, quo-*

quoniam ſunt è natura terrena. Piſces autem in terram extracti moriuntur, quoniam ex aquæ natura ſunt. Volucres verò in aëre quieſcunt, quod ſi in terram deſcenderint, timent ne capiantur, SIC ET ANIMA *ſi à propria natura deflexerit,* STATIM INTERIMITVR. *Quamobrem qui Diuinis illis muneribus donati ſunt, mundi fraudes, & dolos reformidant, eiuſque fugiunt conſuetudinem, ne in laqueos, & mortem incidant. Talis anima, ne ſi velit quidem, poteſt mundum diligere.* Quæ mundum diligit, à nobilitatis ſuæ culmine excidiſſe videtur. Nobilior mundo eſt anima, nec eò ſe demittere debet, vt illi ſeruiliter ſe ſubijciat, quem niſi ſubiectum habeat, fit hoſtis ſui, & mortem ſibi infert, quæ ſi naturam reſpicias, mori non poteſt. Cùm inter ſimilia amor facilè coaleſcat, & amoris ſit fons ipſa ſimilitudo: cur quæ ſpiritus eſt, ſpiritualia non diliget, & à terrenis non aborrebit, quæ nihil eſt terreum? ſed

animæ vnitatem diſcutiamus.

52 Quòd vna in nobis anima ſit, ad eius curam, cuſtodiamque nos vrget; in corpore pleraque membra duplicia ſunt, vnica anima eſt, vt ſolicitè cuſtodiretur. Huc nos ducebat Sanctus Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba: *Omnia nobis duplicia Deus dedit, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur horum alterum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur.* ANIMAM VERO DEDIT VNAM *nobis: ſi hanc perdiderimus, quonam viuemus?* Vna eſt anima, & vnicè amanda; vnicè cuſtodienda eſt; nam ipſa ſi pereat, non adeſt alia, quæ eius vices obeat.

Totius Chriſtianæ ſummam redegit in pauca, antiquus ille Pater, qui rogatus aliqua, quæ ad Chriſtianam perfectionem ſpectarent, digerere, hoc tantùm prodidit: *Vnus eſt Deus*, VNA EST ANIMA, *& vna tantùm vice mors obitur.* Papè quàm multa, quàm paucis dixit!

Vnus eſt Deus, adeo vt illo per peccatum amiſſo non ſit alius, ad quem eatur. Vna eſt anima, vt ſi pereat alterius ſalute hanc iacturam minuere nemo poteſt. Semel morimur, quod ſi prima vice quis malè moriatur, errorem ſuum repetita morte nequeat emendare. O altè hæc omnium mentibus inſideret! Vnitates haſce qui seriò cogitabit, nec multus in amorem terrenorum erit, nec ſinet ſuam mentem in varia diuidi, & veluti diſcerpi.

Ab animæ ſuæ cura videtur alienus, qui totus in curando corpore eſt, & corpori ornatum, & pulchritudinem quærit, animæ oblitus. Breuiter, ſed tamen plenè Beatus Chryſoſtomus: *Impoſſibile eſt*, inquit, *aliquam agere* CVRAM ANIMÆ, *& tanti facere corporis pulchritudinem, & ornatum.* Non meretur animam habere, qui illius obliuiſcitur, nec mente videtur ornatus, qui corpus tantùm ornat.

53 Præferri anima rebus omnibus debet, quæ cæteris rebus excellentior eſt. Bene in Parænesi Sanctus Nilus: *Omnibus rebus* PRÆFERAT ANIMAM, *& ſic virtutis curſus ſine defatigatione perficitur.* In hoc curſu animus laſſatur, ſi contemnatur anima.

Pende quid corpus ab anima accipiat, vt à te ipſo diſcas quid honoris, quid reuerentiæ, quid curæ impendere animæ debeas. Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet B.Bernardus: *Da*, inquit, *honorem hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua:* ANIMA *verò peregrina, & exul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, quis ruſticus, ſi fortè nobilis, & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis cineribus accubabit, cedens hoſpiti ſuo locum (ſicut dignum eſt) potiorum? Et tu ergo fac ſimiliter. Iniurias, vel moleſtias tuas ne reputaueris: tantùm vt hoſpes tuus honorificè poſſit apud te demorari.* HONOR

NOR TIBI EST VT PRO EO INTERIM TE *exhibeas inhonorum. Ac ne fortè deſpicias, aut paruipendas hoſpitem tuum pro eo, quòd peregrinus tibi videtur, & aduena: diligenter attende quid hoſpitis huius tibi præſentia largiatur. Ipſe enim eſt, qui tribuit oculis viſum: auditum auribus præſtat: ipſe eſt, qui linguæ vocem, palato guſtum, motum membris omnibus ſubminiſtrat. Si quid vitæ, ſi quid ſenſus, ſi quid in te decoris eſt, huius hoſpitis beneficium recognoſce. Denique diſceſſus eius probat, quid præſentia conferebat.* Alioquin ab omni ratione peregrinatur, ſi hunc hoſpitem, & peregrinum corpus negligat, à cuius præſentia tot ditatur bonis.

Anima natura ſua nobilis corpori vnita nihil de ſua perfectione, ac nobilitate deperdit; quæ res tacitè monet, in humilitate ſecurum degere nobilem, nec polluere dignitatem ſuam, ſi ſe vilibus aptet, cùm res id exigit, miniſterijs. Ab anima

quiſque ſua diſcat, ſe demittere, & in aliorum vtilitatem, vſumque ſe deijcere, cùm nobilitas ita non amittatur, ſed ſeruetur, & probetur.

54 Cogitet Chriſtianus quid in corpore anima præſtet, & diſcet quid præſtare ipſe debeat, vt Chriſtianus ſit, & Chriſtiani notas habeat. Quod anima in corpore, hoc Chriſtianus eſt in mundo. Ab alieno calamo rem firmare non puto alienum; firmior res euadit, cum dictis antiquitas pondus adijcit, & quod eſt maius, ſanctitas. Dabo, quod in hac re dedit Sanctus Iuſtinianus Martyr, à cuius verbis aliquid ſupprimere religio fuit: *Vt ſemel,* inquit, *omnia complectar,* QVOD EST IN CORPORE ANIMA, HOC SVNT IN MVNDO CHRISTIANI. *Diſperſa eſt per omnia corporis membra* ANIMA, *&* CHRISTIANI *per mundi ciuitates diſperſi ſunt. Habitat quidem in corpore* ANIMA, *ſed non eſt è corpore: Sic &* CHRISTIANI *in mun-*

do

do habitant, ſed è mundo non ſunt. Inuiſibilis ANIMA *in viſibili corpore, tamquam in præſidio conſtituta eſt: Sic &* CHRISTIANI *cognoſcuntur, dum in mundo commorantur; ſed inuiſibilis eſt eorum Cultus Diuinus. Odio proſequitur animam caro, & bellum ei mouet, nulla affecta iniuria, quod voluptatibus frui prohibeatur: odio proſequitur & mundus Chriſtianos, nulla affectus iniuria, quoniam voluptatibus repugnant.* ANIMA *carnem amat, quæ ipſam odit, & amat membra: Sic etiam Chriſtiani amant oſores. Incluſa quidem eſt anima corpore, ſed ipſa corpus conſeruat: Sic &* CHRISTIANI *detinentur quidem in mundo, tamquam in cuſtodia, ſed ipſi mundum conſeruant. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat: & Chriſtiani illa, quæ corruptioni ſunt obnoxia, tamquam inquilini, incolunt, incorruptibilitatem cœleſtem expectantes. Anima, dum cibo, & potu malè tractatur, fit melior; & dum Chriſtiani ſupplicijs afficiuntur quotidie, numerus eorum creſcit.*

ſcit. Vides vt mentem informet, quę informat corpus! & quàm vtilia monita anima exhibeat, dum ſe corpori exhibet. Diſcet igitur quilibet à ſua anima, qualis eſſe debeat, dum hîc eſt.

Sed ipſas animę operationes conſideremus; quàm varia, quàm admiranda opera præſtat, quàm inſignia exercet officia; quam omnibus vna ſe omnibus membris aptat; tamquam tacitè inclamans, vt qualis ipſa erga corpus eſt, tales nos erga noſtros proximos exhibeamus, omnibus omnia nos faciamus. Vna eſt anima, & tamen multis vacat operibus, ac ſi multiplex eſſet. Animam referebat Apoſtolus cum diceret ſe omnia omnibus factum. Tu quoque numerum auge, ne nudus numerus audias.

55 Hoc quoque indiſcuſſum abire hîc non debet, quod tàm mira anima operatur in corpore, licet à nullo nec videatur, nec poſſit videri. In qua re arguit illos, qui ina-

ni hominum auræ litantes, ad laborem ſunt prompti, ſi videantur, & laudentur; cæterùm lenti operi manum admouent, ſi ſpectatoribus careant, ſi ab aliorum oculis ſint ſubmoti.

Hoc quoque boni ab anima elicimus dum non videtur, quod nos in Dei notitiam, ac cognitionem veluti manuducit, & inuiſibilem eum eſſe credimus, quia nec animam corporeis oculis videmus. Præſtat hîc ſiſtere quæ habet Sancto Zeno Veronenſis Epiſcopus. INVISIBILEM ESSE DEVM *credis animæ tuæ ſubſtantia contemplata: quia ne ipſam quidem potes carnalibus oculis intueri neque enim color ei vllus, aut habitus eſt, vel forma ei aliqua corporeæ deſcriptionis exprimitur, ſed ex virtutibus tantùm, atque operationibus innoteſcit. Et ideo neque in Deo requiras oculorum viſum: ſed ſola mente, ac fide ad eum conuerſus, intellectualem ſenſum, atque intelligentiam concipe. Admirare quoque opificis ſapientiam, quomodo*

animæ tuæ virtutem conſortio corporis modulatus eſt ita, vt per omnes eius partes infuſa duceretur, & quamplurimum inter ſe membra diſtantia ad vnam conſonantiam, concordiamque conſtringeret. Admirationis materiam exhibet anima, exhibet, & laudis, vt ab illius contemplatione ſtatim ſurgere in Deum debeamus, inque eius laudem exilire.

56 Quod anima membris omnibus vitam præbeat, non item vbique ſenſus actus eodem pacto exerceat expendens Sanctus Bernardus ad animæ ipſius virtutes ita flectebat: *Conſidera ò anima quid impendas corpori tuo, & inuenies ſine dubio, quod vitam ei, ſenſumque miniſtras: & vitam quidem in toto corpore inuenies vniformem, verbi gratia. Neque enim aliter viuit oculus, quàm articulus. Senſum verò non ita:* QVÆRE ERGO VT TIBI QVOQVE ANIMA TVA (QVÆ EST SINE DVBIO DEVS TVVS) SIMILIA LARGIATVR. *Neque enim viuere dicenda eſt anima, quæ veritatis non habet cognitionem, ſed adhuc mortua eſt in ſemetipſa, quemadmodum, & ea ſine ſenſu, quæ necdum habet dilectionem. Eſt ergo animæ vita veritas, ſenſus charitas. Nec mireris quòd interdum animæ impiorum notitiam habent veritatis, quæ tamen expertes ſunt charitatis, quando & in corporibus nonnullis vitam reperis ſine ſenſu, vt ſunt arbores, cætera que ſimilia animantia quidem, ſed animatione, non anima.* Et vt ſenſus vitam ſupponit, & addit aliquid vitæ, ſic & charitati ſubſternitur notitia, faſtigium ipſa eſt. Niſi quod aliquibus animæ vita non cognitio tantùm eſt dicta, ſed & vniuersè virtus: Benè Thalaſſius: *ὥσσερ*, inquit, *τὸ σῶμα κατὰ φυσιν ἡ ψυχὴ ζωοποιεῖ οὕτωσκαὶ τὴν ψυχὴν ἡ ἀρεθὴ, καὶ ἡ γνῶσις. Sicut* ANIMA *corpus ſecundùm naturam viuificat, ita & animam* VIRTVS, *& ſcientia*; non videtur anima viuere ſi virtute careat, quæ animam ipſam viuificat.

57 Ab imperio, quod in corpus anima exercet diſcat ipſa Deo obedire; alioquin rectè regere non poteſt niſi ſe ſinat regi. Opportunè Sanctus Auguſtinus: *Accepit*, inquit, *homo corpus, tanquam in* FAMVLATVM, *Deum autem Dominum habens, corpus ſeruum, habens ſupra ſe conditorem, infra ſe quòd ſub illo conditum eſt: in medio quodam loco rationalis anima conſtituta, legem accepit parere ſuperiori, regere inferiorem; regere non poteſt inferiorem niſi regatur à meliore. Trahitur ab inferiore, deſeruit ergo meliorem: non poteſt regere quod regebat*, QVIA REGI NOLVIT A QVO REGEBATVR. Niſi anima ſubdita Deo ſit; ſubditum regere corpus perfectè non poteſt. *Quid tàm regium*, inquit Sanctus Leo, *quàm ſubditum Deo animum, corporis ſui eſſe* RECTOREM; ineptus eſt rector niſi à ſuperiore regatur, & periculosè ſubditur corpori, niſi Deo per omnia ſit ſubditus. Benè imperat ſi benè ſeruiat. Audiendus iterum

iterum Sanctus Auguſtinus: OBTEMPERAT ANIMA SEDENTI IN SE DEO, *& ipſa iubet membris. Anima enim tua iubet membro tuo, quò moueatur pes, quò manus, quò oculus, quò auris, & iubet ipſa membris tanquam famulis ſuis: Sed & ipſa ſeruit interius inſidenti ſibi Domino ſuo. Non poteſt inferiori ſe bene imperare, niſi ſuperiori ſe non fuerit dedignata ſeruire.* Quæ ſuperioris detrectat imperium meretur refractarium inferiorem ſentire; ſi illi obſequatur, obſequentem iſtum habebit.

Aurigæ munus anima exercet; 58 illius eſt videre quò corpus agat, ne in præcipitium eat, ſi corpus, & membra præcipitet, ſuæ ruinæ erit cauſa, ſi muneri deficiat ſuo; Scitè ſcitus auctor: *Vt enim ſi* AVRIGA *inſcenſus in ſtadio equis, negligens ſcopi, ad quem curſus dirigendus ſit, auertenſque ſe ab eo, dumtaxat equos ad curſum impellat, vt poteſt: poteſt autem vt vult: ac ſubinde* illos

illos in obuios agat, ſubinde quoque per præcipitia inſtiget, vectatus quò eum pernicitas equorum abripuerit, interim ſibi perſuadens, cùm ita AVRIGETVR, *ſe ſe à ſcopo non excidere, vtpotè qui ad ſolum curſum oculos intentos habeat, nec ſe videat extra ſcopum palabundum verſari: ita quoq; anima, quæ ſe auertit ab orbita Dei, & præter decorum incitat membra corporis ſui, vel potius ipſa ex ſe incitata, vna cum membris perperam agit, ſibique malum fingit nihil interim animaduertens ſe ſe à via deerrare, & extra veritatis ſcopum ferri.* Præcipitium amat, qui aurigæ huius leges, regimenque detrectat, & currit ad interitum, qui membra corporis ab animæ rectè regentis ſubducit imperio.

59 Denique vt definiam, à celeritate, qua membra animæ imperio parent, diſcere anima debet ſuis ipſis imperijs obedire, & abſque vllâ morâ vtilia ſuadentem audire, & imperia in opus vertere; nam

mon-

monſtro ſimillimum aſſerit, ſi aliter fiat Sanctus Auguſtinus: *Vnde, inquit, hoc* MONSTRVM, *& quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim; imperat animus ſibi & reſiſtitur. Imperat animus, vt moueatur manus, & tanta eſt felicitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium; & animus animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, vt velit animus nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum?* An ab eo eſt, quod anima imperat, ſed non ex toto licet imperet tota? Pergit idem Sanctus Doctor: *I*MPERAT ANIMVS, *ac velit, qui non imperaret niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat, nam in tantum imperat, in quantum vult; & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult; quoniam voluntas imperat vt ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa, non vtique plena imperat, ideo non eſt quod imperat; nam ſi plura eſſet, nec imperaret, vt eſſet, quia iam eſſet; non igitur monſtrum par-*

tim

tim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi eſt, quia non totus aſſurgit veritate ſubleuatus, conſuetudine prægrauatus. Integer non videtur homo, qui totus non aſſurgit, integrè ſe cognitæ veritati non dat. Conijce in mortales oculos, & quos ex toto non velle, quod iuſtum, & honeſtum eſt, deprehendis, ex toto ſibi non imperare cenſe, & quod eſt conſequens, totos ſuos non eſſe, ac quadam animi ægritudine laborare, licet alioquin videantur ſani.

CAPVT X.

Quædam alia monita, ánima nobis exhibet.

Anima humana hominis *gloria* cur dicta in diuinis litteris. 60
Quàm amentes qui ex animo, *animæque ſacrario diuinitatem* expellit, & fœda *vitia* reponit.
Ho-

Hominum leuitas, qui pro rerum *terrenarum cepe* animam vendunt. 61
Animus corporis *imperator* imperare debet, non ſubijci. 62
Animæ, & corporis *coniugium* quid præſtare in animam tamquam hoſpitem debeat.
Nullius *vilitatem* contemnendam *anima* docet. 63
Quid præſtare *animæ* corpus debeat à quo vitam, & motum accipit.
Quò excellentior *anima*, eò perfectiores *actiones* debet promere. 64
Animæ ſplendor per *membra*, membrorumque *actiones* reluceat.
Vnitas, & *pax*, *animæ*, & corporis nexu commendatur. 65
Recta *intentio* operis anima.
Quod *anima* corpori hoc *Deus* animæ.
Animæ, & corporis *mixtio* quàm arcana, & mira. 66
Regnum velut *corpus*, *Sacerdotium* vt *anima* eſt.
Vna

60 VNa licet anima ſit, multa opera tamen præſtat corpori, dum ſe exhibet, vt non mirum, ſi multa quoque monita obijciat, dum menti obijciatur. Præter ea quæ ſuperius dedi, dabo hîc alia: poterit ex his lector plura elicere, quæ eò gratiora erũt, quò fuerint quodam laboris, & inquiſitionis condimento veluti adſperſa. Vellem hominem in illius partis conſideratione præcipuè verſari, quæ in homine præcipua eſt. Sed iam præeamus.

Solet in Diuinis litteris anima *gloria* dici; tamquam in hac vna gloriari poſſimus, & inglorius ſit, qui illius curam negligit. Præclarè Agellius noſter: *Hoc*, inquit, *maximè infigendum eſt animis, à Diuina ſcriptura, & Spiritu ſancto animam humanam vocari* GLORIAM, *qua vna re homo cæteris omnibus corporeis rebus excellit, quamque* GLORIAM ILLIBATAM *ſeruare maximo ſtudio quiſque debet, ne turpitudine aliqua*

vitiorum inquinetur. Quid hîc illi, qui adeo gloriæ loco animam non habent, vt tunc glorientur cum illam culpis polluunt, & ſceleribus coinquinant? gloriantur enim cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, hoc ipſo ipſi peſſimi, & anima illa indigni, quam inficiunt.

Animam, animumque gloriam non putat, qui ab ea Deum reijcit, vt pro Deo rerum terrenarum reponat ſtercora. Rem grauiter vrget Ioannes Euſebius, dum ait: *An doctus homo aut integer mente, aut fidelis potuit eſſe, qui ex aureo ſacrario, deputato, vt aſſeruetur ibi Euchariſtia, abieciſſet corpus Chriſti, vt loco illius deponeret lutum? quomodo ſapiens eſt, qui ab animo*, DIVINO SACRARIO, EXPELLIT IPSAM DIVINITATEM *complacentem ibi, & ſubſtituit eius loco non* STERCORA, *ſed fœdiora vitia, & concupiſcentias ſordidiores?* Poteſt inſania maior, & intollerabilior amentia cogitari? Adeone tàm vilis homini eſt anima, cuius com-

paratione omnia corporea ſunt vilia?

61 Quàm fatui, quàm deliri, qui animam tanti faciendam, pretio viliſſimo rerum temporalium vendunt, & dant adeo pretioſum theſaurum, vt quæ citò pereunt, & nihili pendi debent, acquirãt?,, Anno ſalutis humanæ M. DC. LXXXIV. cùm bello inter ſe Genuenſes, atque Piſani decertarent, Genuenſes captis duabus Piſanorum triremibus, cùm Syracuſis in Siciliam appropinquaſſent, atque per noctem extra Vrbis muros triremium patronos in furcis ſuſpendiſſent, reliquam naualem turmam vendiderunt, PRETIO IN SINGVLOS VNIVS CEPE CONSTITVTO; eam ignominiam longè grauiorem, quàm îpſam mortem arbitrati. Fulgoſus hoc refert; huic ſe pœnæ, maiorique ſpontè offerunt, qui pro recu lis temporalibus animam vendunt; ſæuiores in ſe hoſtes facti, quàm alij eſſe potuerint; cepe terrena

omnia

omnia ſunt, quæ elicere lachrymas queunt, non vera voluntate mentem perfundere; & reperitur, qui vt cepe mercetur, animam in pretium offerat? Et non minoris quàm cepe animam ſuam faciebant, qui has emittebant voces? *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, &* CEPE, *& alia. Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man*. O multos non haberent Hebræi imitatores, eòque miſeriores, quo ad maiora vocati celſiorem circumferre mentem debent! Specta Chriſtiane, quæ amas, quæ animæ tuæ ſaluti præfers; vide ne animam pro cepe vendas, & quod alij pro contumelia, morte ipſa grauius habuêre, tu gloriæ, & honoris loco ducas, animam ſcilicet cepis commutare, & pro reculis perituris eam ſpontè offerre.

O quando ſaniora conſilia bibes? 62
Quod eſt natura præcipuum vilioribus ne poſtponas. Te pudeat tàm vili pretio vendere, quod eſt pretij

 inæſti-

inæſtimabilis. Animæ ipſius excellentia, & nobilitas indicat, quàm monſtruoſa illa ſeruitus ſit, qua anima corporis voluptatibus ſeruit, cùm deberet corpus animæ, debibito, innocentique obſequio ſeruire. *Animus*, inquit Ennodius, IMPERATOR *eſt corporis*, & ſeruiet tamquam mancipium quoddam eſſet? Erige te homo, nec illam tibi inuida dignitatem, ad quam te tua anima extulit, niſi præpoſtero ordine ſeruire ignobiliori nobilius cogas.

Satis corpori ſit, ſi animæ ſeruiat, obſequatur animæ, ſingularis honoris loco ducat, eam honorare, à qua omnê decus habet, omnemque gloriam. Nonnemo inter corpus, animamque nobile coniugium agnouit; ſit; at anima viri locum tenet, corpus ſequioris ſexus; *Nulla*; inquit, *glorioſior affinitas*, inquit ſcitus ille auctor, *quam corpus anima rationis corrupti, & quæ Dei imaginem indelebilem ferat*, QVASI

CONIVGIO *longè iucundiſſimo, atque inſeparabili copulari*. Felix coniugium, ſi ſe mutuo foueant, mutuo auxilientur, nec corpus animæ impediat ſalutem ſuam quærentem, cùm vnius bonum in alium reſiliat, vt in coniugio ſolet. Vtilis in hac re cautio, quam exhibet mellifluus Doctor, dum corpus alloquens, ait: *Noli ò corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere vt nunc anima pro ſe laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam ſi compateris, & conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quòd nimirum antè reparari non poteris, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam*. NOBILEM HOSPITEM *habes ò caro, nobilem valdè, & tota ſalus tua pendet de eius ſalute. Da honorem hoſpiti tanto*. Alioquin ſi hoſpitis tanti, imò & mariti ſalutem impedit, impedit ſuam, & hoſtis ſui eſt, ſi hoſtis ſit animæ.

63 Demittit ſe anima, & corpori iungitur, cuius conſortium adeo non horret, vt maximè amet, & ſuo exemplo indicat, nullius vilitatem contemnendam. Ad Chriſtum hoc flectens Beatus Laurentius Iuſtinianus aiebat: *Hæc mira connexio carnis, & ſpiritus diuerſa in naturis, & concors in affectione, & dilectione. Magnum hoc Sacramentum eſt, Chriſti videlicet, & Eccleſiæ. Nam quantumcunque infirma ſint* MEMBRA, *quantumcunque iaceant, & fœteant, non repelluntur a Chriſto, non deferuntur ab ipſo, ſed fouentur, paſcuntur, curantur, & viuificantur.* Sed rem ad omnes poſſumus porrigere. Proximum ſuum, eiuſdem naturæ hominem nullus facile contemnet, ſi ſe ſpectet, videatque in ſe ipſo animam alterius, ſublimioriſque naturæ corpus non deſpicere, ſed ſe illi aptare, vitam illi præbere, dum præbet ſe.

Quàm malè ſuo benefactori reſpondet corpus, ſi vitam tribuenti

vitam quærat auferre, & in illam inſurgat, à qua vires, & omnia habet. Amat, inquit nobilis ille auctor, naturali quadam propenſione anima corpus, vtpotè cui ſuum ipſius eſſe communicat, per quod ipſum corpus exiſtit: ideoque illud perinde, AC SE IPSAM AMAT. Ionathas amantiſſimo Dauidi, veſtes ſuas, & arma præ nimio amore contulit; at anima corpori (cui eximio naturæ amore deuincta eſt) non res externas, ſed ſuum eſſe, & cum eo vitam, pulchritudinem, motum, ſenſum, cæteraque vitæ ornamenta tribuit. Hoc ergo corpus cum germana ſemper anima graditur, aſſiduèque importunis cupiditatibus ad malum miſeram vrget, atque ſolicitat; totque malis, ſtudet implicare eam, à qua tot bonis cumulatur, ſicque dum benefactorem ſuum lædit, lædit & ſe, rebus ſuis corpus conſuleret, ſi animæ à qua vitam accipit conſuleret.

64 Porrò quò excellentior humana anima eſt, eò perfectiores prodire à nobis actione debent, vt probemus, ea nos eſſe præditos. *Vnde enim*, inquit auctor ab aureo ore, *nos anima præditos eſſe conſtat? An non ex actionibus? Cùm igitur ſuis ipſa muneribus non fungitur, an non mortua eſt? Verbi gratia, cum virtutis cura non tenetur, ſed aliena rapit, ac flagitioſè viuit. Vnde enim queam dicere* ANIMAM TIBI INESSE! *An quod ambules? At hoc bruta etiam habent. An quod edas, ac bibas? At hoc ferarum quoque eſt. An quod recto corpore ſis, ac duobus pedibus inſiſtas? At hoc mihi potiùs indicat te belluam humana forma eſſe. Nam cùm cætera eadem tibi cum bellua ſint, erectio autem non item nimirum hoc ipſo vehementiùs me turbas, ac perterrefacis, magiſque portentum id eſſe exiſtimo, quod cerno. Etenim ſi feram humana lingua loquentem cernerem, non propterea hominem eſſe dicerem: quin hoc ipſo nomine potiùs feram,*

quauis alia fera prodigioſiorem. Vnde ergo mihi exploratum eſſe queat, humanam animam tibi ineſſe, cùm vt aſini calcitres, vt cameli memor ſis iniuriarum, vt vrſi mordeas, vt lupi rapias, vt vulpes fureris, vt ſerpentes vafer, ac fraudulentus ſis, vt canis impudenter te geras? Vnde, inquam, te HVMANA ANIMA *præditum eſſe intelligere queam?* Pluſcula iſta fuerint, ſunt omnia apta, nec aliquid licuit elidere. Ad hanc regulam ſi rem expendamus, deprehendemus multos adeo deſipere, vt moribus conentur probare, ſe anima humana carere, cùm actus offerant, quæ referunt bruta.

Corporis eſt ita excipere animam, vt ex corporeorum membrorum operibus animæ, quæ latet, ſplendor eluceat, non totum obruat, ac velut ſepeliat. *Porrò*, inquit Sanctus Bernardus, *effulgentem, & veluti quibuſdam* SVIS RADIIS *erumpentem mentis ſimulachrum corpus excipit, & diffundit per membra, & ſen-*

ſus, quatenus omnis inde reluceat actio, ſermo, aſpectus, inceſſus, riſus, ſi tamen riſus mixtus grauitate, & plenus honeſti. Animæ radij per membra non diffunduntur, ſi ſolam carnem actus ſapiant, ſolam referant actus, qui ſunt à membris, velut animæ inſtrumentis. Iniurij animæ ſuæ illi ſunt, qui ſi ea ſpectemus, qui ipſi præſtant, animæ radios ita denſis tenebris inuoluunt, vt anima intus operans vix appareat, vt ſi extimè operantes videas, vix à brutis diſcrimines. Sed alia ab anima corpus informante moribus informandis monita eliciamus.

65 Ab anima, quæ membra corporis informat, ſed ea tantùm, quæ corpori ſunt vnita, diſcimus vnitatem, ac pacem ijs ſectandam, qui à ſpiritu diuino cupiunt vitam accipere, ac decorem. Pulchrè Sanctus Auguſtinus: *Spiritus humanus ſicut nunquam viuificabit membra, niſi fuerint vnita, ſic Spiritus ſanctus nunquam nos viuificabit, niſi in* PACE

VNITI *fuerimus*. Fruſtra huius ſpiritus conſortium ſperet, qui pacem non amat, vnitatem non ſectatur.

Dum animam corpus informantem, eique vitam, & pulchritudinem dantem cogitas, quanti referat pende opus recta intentione, vt ita loquar, animare, nam vt Richardus ait: *Quod corpus ſine* ANIMA, *hoc ſine recta* INTENTIONE *opus*; totum eſt deforme, totum Dei naribus fœtet, & cadaueroſum eſt, ſi rectæ intentionis animæ actionum noſtrarum corpus deſtituatur. Quis actiones illas numeret, omni pulchritudine, ac etiam vita carentes, quia nulla eas bona intentio animat, & informat.

Animam mente præditam homo accepit, & ſe accepiſſe probabit ſi animæ animam Deum putet, & Deum pro mente habeat. Aurea eſt Sancti Petri Chryſologi ſententia: *In hominibus* DEVS *mens eſt*, adeo vt qui mentem habet, Deum, Deique conſilia, ac directiones ha-

beat pro mente. Huc ſpectat & illud non adeo antiquæ notæ auctoris: *Quod eſt* ANIMA CORPORI, *hoc eſt* DEVS ANIMÆ; corpus ſine anima non viuit, nec anima ſine Deo.

66 Animæ, corporiſq; mixtio quàm mira, vt humana omnia ingenia exerceat, & ſtupore quodam repleat. Sanctus Gregorius Nazianzenus, *myſticam* vocat, *& miro modo perfectam, & inexplicabilem*. Vix hominis nomine dignum reputem, qui hanc hominis coagmentationem non ſuſpicit, & artificis excellentiam non admiratur. Quot bona, quot admiratione digna ab hoc animæ, corporiſque nexu naſcuntur, quot mala, quæ non ſine horrore ſpectanda horum ſeparationem ſequuntur; idem fit cum anima Deo nectitur, denectitur à Deo; O quì ſapis illud quære, & iſtuc vita, ſi vitam amas.

Animæ porrò, & corporis nexus, & mutua compactio monere nos debet,

bet, vt ea præferamus, quæ ſunt potiora, quæq; animam referunt ijs anteferantur, quæ corpus; & ſtatim nobis Sacerdotalis obijcitur dignitas. Hinc illud Sancti Iſidori Peluſiotæ: *Ex Sacerdotio, & regno rerum adminiſtratio conflata eſt, illud enim velut* ANIMA *eſt, hæc velut* CORPVS. Regnum corpus refert, Sacerdotium anima, ſcilicet quãtum anima corpori præſtat, tantum dignitas Sacerdotalis regiam excellit. Audite Reges, & vos demittite; audite Sacerdotes, & pluſquam regiam mentem circumferte, moribuſque veſtræ celſitudini reſpondete.

CAPVT XI.

Caro vt homini magiſtra eſſe poſſit.

Carnis lenitas *manſuetudinem, & humanitatem* docet. *67*

Carnis tractabilitas *obedientis* forma.

Lenitas

Lenitas carnis quàm timenda. 68
Blanditijs feræ manſueſcunt, *caro* proteruior fit.
Carnis hoſtilitas deſcripta. 69
Macerata *caro* mentem illuminat.
Caro dæmonum *nutrimentum* delicijs haud nutrienda. 70
Corpori qui *blanditur* efferat.
Domeſticus hoſtis *caro*. 71
Caro animi *catena*.
Carnem dura conuulnerant, ſpiritum *mollia* necant. 72
Carnis eſt *ſpiritui* obtemperare.
Diſciplinæ *aratro caro* exercenda. 73
Ab alienorum *rapina* nos *caro* noſtra, vt auocet.

67 MIrum, caro, quæ inſidias ſtruere ſolet, euertendis, cauendiſque inſidijs poteſt deſeruire. In primis quod ab omni parte lenis, quòd minimèque aſpera, ſed mollis ſit, hominem monet, vt aſperitatem, omnemque duritiem auerſetur, vt ad miſericordiam

cordiam

cordiam ſit propenſus, ad humanitatem facilis. Hoc præcipuè ad molliorem ſexum coërcebat Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui ita philoſophatur fœminarum mollitiem expendens: ſed extendi etiam ad meliorem ſexum debet; hæc illius verba: *Non temerè mulieri ea data eſt* MOLLITVDO, *ſed vt ad* HVMANITATEM FACILIOR SIT, *ad miſericordiamque propenſior: in rebus autem, quæ fortitudinem poſtulant, robuſta eſt, in vigilijs, & laboribus conſtans. Quando poteſt hominis natura cum fœmina fortiter vitam agentis natura contendere? Quando poteſt homo firmam mulierum in ieiunijs continentiam imitari? Quando poteſt æquare ſedulum earum in precationibus ſtudium, piam ad lachrymandum propenſionem, & pronam ad bene merendum facilitatem?* Et verò licet non adeò mollis vir ſit, eſt tamen etiam ipſe mollis; nec debet pati, vt à debiliori ſexu vincatur in bono.

Caro

Caro nobis data tractabilis, flexibiliſque, vt eius eſſe ſtatim intelligeremus animæ habenis facilè flecti, & facilè ad eius imperium duci; cur enim dura imperium ſuperioris excutiat, quæ tam tenera, ac mollis natura ſua eſt? Mollis ſit vt leui ſe ſinat brachio tractari; nam alioquin noxiè mollis eſt, ſi mollia, & blanda quærat, reſpuat dura, aſpera detrectet.

68 Porrò & ipſa carnis mollities, ac lenitàs aliud clamat, ne ſcilicet facile, quis ſuæ carni credat, carnis illecebris ſe ſinat decipi, cum aſperitate omni aſperior lenitas iſta ſit, & omni hoſtilitate ſæuior blandities iſta. Præſtat hîc audire, quæ habet Beatus Laurentius Iuſtinianus: *Laborioſa*, inquit, *prorſus, & ad ſuperandum difficilis eſt* CARNIS ILLECEBRA, *quæ die, noctuque ſpiritui infeſta ſentitur, foris habet cui adhæreat, & contra quem ſæuiat intus, propagatur in carne, coaleſcit in tempore, enutritur in vitijs, neglecta ro-*

boratur, & quum dominatur, interimit, nunquam rationis legibus cedit, nunquam ſuperata quieſcit, ſemper floret, ſemper viget, ſemper ſua importunitate decertat, ſerpit continuò vt cancer, ſæuit vt ignis, rugit vt leo, tumet vt coluber, inſidiatur vt latro, cœno volutatur vt aper, ſat nunquam dicit vt infernus, commaculat naturam, & inflammat totum corpus natiuitatis inflammata à gehenna. Nihil hîc tutum, nihil non timendum eſt, ſæuitiem ab omni parte euomit, licet blandiatur.

Mites præ carne feræ ipſæ ſunt, iſtæ blanditijs iram ponunt, hæc magis efferatur. Benè de illa dixit, qui illius mala recenſuit in cautionem; idem Beatus auctor bonus carnis hoſtis ita carnem pungebat: *Quid de proprio, & pernicioſo carnis amore dicendum eſt: cùm ipſa ex ſui natura ſpiritui inimica ſit? Semper enim contraria ſuæ ſaluti concupiſcit. Si nutritur, impinguata, & incraſſata recalcitrat; ſi inedia, & labo-*

ribus atteritur, murmurat, ſi pretioſis induitur veſtibus, extollitur. BLANDITIIS FERÆ MANSVESCVNT SYLVESTRES, HÆC AVTEM PROTERVIOR EFFICITVR. *Ipſa denique domeſtica eſt hoſtis, quæ ſpiritui aduerſari non deſinit. Nam infirmitatibus referta, animam ſuis grauat officijs.* I & fide carni, quæ tam parum fida, & quæ ſub amici perſonam hoſtis ſæuitiem celat. Quis deinceps audeat carnem fouere blanditijs, quæ à blanditijs accipit ſæuiendi non occaſionem tantùm, ſed, quod mireris, etiam materiam? ſæuis eſt, quia in illam non ſæuis, ſæuitiem ipſa poſitura, ſi tu in illam ſæuus eſſes.

69. Hoſtem vocaui carnem. Eſt, & quolibet alio nocentior, & infeſtior; alij non ſemper nos impugnant; non ſemper ſtruunt contra nos aciem, datur aliquod quietis interſtitium, hîc nullum; nobiſcum circumferimus hoſtem noſtri, & qui cum ſui perditione animæ perditionem

nem quærit. Nolo hîc deſiderari, quæ contra carnem, carniſque inſidias habet Petrus Bleſenſis: *Nulla, inquit, peſtis efficacior eſt ad nocendum, quam familiaris, & domeſticus inimicus, hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu, hæc eſt vxor hominis litigioſa,* PESSIMA CARO *noſtra, quæ licet ſit vexata doloribus, repleta illuſionibus, infecta ſordibus, affecta infirmitatibus, obnoxia paſſionibus, flagellis trita, plagis cæſa, morti denique deputata: tamen adhuc aculeis contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, queruloſa, contumax, inquieta in ſuum, & animæ coniurat exitium: nec poſſe ſatisfieri ſibi putat, donec ſe, & animam præcipitet in æternæ damnationis abyſſum, cur non attendit, infeliciſſima caro, quàm nobilem, & quàm neceſſarium ſibi habeat hoſpitem, cuius beneficijs ſuſtentatur, regitur, & honeſtatur? Quod audit, quod videt, quod ſentit, quod intelligit, quod loquitur, quod mouetur, totum hoſpiti ſuo debet, cuius auxilio deſtituta fieret quaſi terra ſine*

ſine aqua, immundum morticinum, vermium cibus, aëris corruptela. I & perditè ama, quæ perdit ſe, & ſecum etiam te. Crede carnis blanditijs, quæ eò nocentiores, quò molliores.

Premenda caro eſt, ne nos opprimat, & duris quodammodo frangenda, vt integra ſit mens; alioquin mens frangitur ſi caro integra ſit; nec ſpiritui parcit caro ſi carni parcatur. Denique vt ille ait: SILEX AFFLICTVS *luces emittit;* CARO MACERATA *illuminat mentem,* quam tenebris inuoluit nutrita delitijs.

70 Carnem *dæmonum nutrimentum* dictam obſeruo. Ioannes Carpathienſis ita loquitur: *Ipſa caro* QVODDAM NVTRIMENTVM *eſt dæmonum. Dum appropriant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas.* Hinc infert quanti referat, Dei ſeruos carnem ſuam macerare, & mortificatione torquere. *Qui ergo,* inquit, *per virtutem, carnes, de quibus loquimur, macerat, ac tabefacit,* DÆMONES

FAME

FAME OCCIDIT, *& ad arma ſibi inferenda imbecilliores reddit;* ſicut è conuerſo, qui carnem delicijs nutrit, fouet voluptatibus, fortes Satanicos hoſtes facit, vires illis tribuit, quibus nos impugnent, & vincant. Ac ſi ſatis illi non eſſent ſtrenui, noſque contra illos imbecilles, niſi vires, & arma, quibus in nos ſæuirent, præberemus. *Sæuus eſt hoſtis ſui,* qui hoſtium tuetur partes.

Carni ſuæ nemo blandiatur, ne refractariam ſentiat; carnis noſtræ hæc natura eſt, vt mollibus, & blandis efferatur, duris, aſperiſque manſuefiat; *Leonem*, inquit Sanctus Ioannes Climacus, *manſuetarius permulcendo ſæpè* CICVRAVIT; *qui blanditus eſt corpori, illud ſæpè magis* EFFERAT, vt ferre illius vim, impetumque nequeat. Qui igitur domitam carnem vult, eam ne blanditijs foueat: niſi in carnem ſuam ſæuias, illa ſæuiet in te.

71 Timendus igitur cuilibet hic hoſtis eſt, & maximè illi timeamus,

qui

qui illum non timet; domeſticus enim eſt, & quò magis familiaris, eò nocentior, præſertim quod ille ſuam regionem incolit; anima contra quam pugnat exul quodammodo ſit. *Caro*, inquit Sanctus Bernardus, *data eſt in adiutorium, & in ruinam nobis, & in laqueum fit. Grande quidem periculum eſt, & grauis lucta aduerſus* DOMESTICVM HOSTEM, *maximè cum nos aduenæ ſimus, & ille ciuis, ille ſuam inhabitet regionem, nos exules ſimus, & peregrini.* Vt maximè à prudentia, peregrinetur, qui huiuſmodi hoſti credit, & tuto ſe illi committit. Incipit ſui hoſtis fieri, qui ſuo hoſti fidit.

Blanda videatur caro, ne fide, hoc ipſo acrius ſæuit, quò blandior eſt. Iudam refert, capit quem oſculatur, oſculo ipſo vtitur vt decipiat. Vix Iudas Ieſum oſculatus eſt, cum à militibus fuit ligatus; non mitiora exſpecta à carne, quam circumfers, niſi quod non tàm vin-

cula, & catenam inijcit, quàm vinculorum, & catenæ vicem ſubit. Audio Sanctum Ephræmum Syrum, & tu etiam mecum ſi ſapis: *Caro eſt veluti* QVÆDAM ANIMI CATENA, *qua illam tanquam ouem capit, ac trahit ad occiſionem, & tanquam ſublime petentem, volucrem hac eam conſtringit, atque deuincit; hacque tamquam fortis alicuius gigantis pedes, manuſque gladio concidit.* Carnis ſuæ catena qui ſe ſinit vinciri, ineptè de illâ ſibi libertate, quâ alioquin gaudet, blandiatur. Multi adeò amentes ſunt, vt in iſta vincula ſe conijciant, & carnea hac catena animam ſuam tanquam morti damnatam ad mortem trahunt. Et quando, ò mortales, ſaniora à vobis elicietis conſilia? Quando meliorem mentem circumferetis, deſinetiſque in vos carnis delicijs ſæuire?

Nec mirum ſi tam ſæua in ſpiri- 72
tum mollis caro ſit, quia ſua com-
moda quærens, ſpiritui infert dam-
na; nam quod vni confert, noxium

alteri eſt. Peritè Sanctus Gregorius: *Carnem*, inquit, *leuia refouent*, *animam verò aſpera exercent*. *Et rurſus ſicut* CARNEM DVRA CONVVLNERANT, ITA SPIRITVM MOLLIA NECANT. *Et ſicut carnem laborioſa attenuant*, *ita ſpiritum delectabilia anguſtant*. Hinc fit, vt ſtatim hoſtis vnius incipiat eſſe, qui cum altero amicitiam init. Qui ſapit potius partes tuebitur potioris, & qui mentem habet carnem ſpiritui ſubdet.

Ancilla eſt, obedire debet, non imperare, ex humo formata caro eſt, vt vilis ſuæ conditionis memor ſeruitutis, & ſubiectionis ſuæ immemor non ſit: *Non vt dominaretur*, inquit Beatus Laurentius Iuſtinianus, *ſed vt* OBTEMPERARET CARO *ex terræ limo plaſmata eſt*, conditionis ſuæ caro obliuiſcitur, quæ non recordatur ſe ſubiectam.

73 Terra caro eſt, adeo vt niſi more terræ excolatur, & ſubiugetur, ſpinas, & tribulos germinet, aratro verò diſciplinæ ſciſſa fructus varios, & Deo

&Deo

& Deo gratos germinet. Audio Petrum Cellenſem: *Terra*, inquit, *huius carnis niſi* ARATRO DISCIPLINÆ *conuulſa fuerit inutilis erit*. *At vbi fortiter concuſſa*, *vel conſciſſa ſemen Domini exercituum exceperit*, *germinare ſecundùm genus ſuum incipiet*. Inculta erit quæ aratrum reſpuit, & quod eſt conſequens infructuoſa, niſi quod vitiorum ſpinas vberrimè producet.

Finio, & moneo, vt carnem ſuam mente ſubeat, qui carne conſtat, mentior ſi non ab ea diſcere cuilibet ſit procliue, aliena non inuadere, ſuis eſſe contentus. In carne, inquit Galenus, eſt vis attractiua propriorum, & expulſiua alienorum. Cur quod carne pręſtas, non pręſtes mente, quę carnis exemplar, & magiſtra eſt? Expelle aliena, non trahas, attrahere tua potes, vt nõ dilapides, licet ſi noxia ſentias, cum laude, commodoque expellas. Trahe tua, aut, quod eſt melius, trahe te, nec te extra te eijce.

H CA-

CAPVT XII.

Alia ex carne monita animæ curandæ, & menti perficiendæ eliciuntur.

Per *carnem* Chriſti *cognati* effecti ſumus. 74
Chriſtus carnem induit, ne per carnem ſe quis poſſet *excuſare*.
Per *carnis velamen* ſuperi luminis radij excipiendi. 75
Mentis vigor obtunditur ſi luxuria *caro* diffluat.
Caro tanquam *ancilla* animæ pareat. 76
Caro docet in noſtra poteſtate eſſe, vt *ſauciemur* non, vt curemur.
Caro elationis remedium. 77
Carnis imbecillitas docet carnis eſſe ſpiritui ſubijci.
Caro vt ſecundùm animam *viuat*, viuat

viuat anima ſecundùm Deum. 78
Mediocritas in *carnis* cura ſeruanda.
Vſura in commercijs ſpiritualibus laudabilis.

DE carne habeo alia, quæ dicam, aut pro ipſa, aut contra ipſam, ſed vtilia omnia, & animæ ſaluti ſeruientia. Solet caro ſpiritui nocere, hîc proderit, ſi altè animo inſcribantur, quæ hîc ſcribuntur. 74

Multum ſuæ carni homo debet, per hanc quippè cognationem cum Chriſto contraxit, quâ Angeli carẽt quia carent carne. Pulchrè Iobius Monachus ſic carnem efferebat. *At heus tu Angelicæ cognationis amator, maiore etiam munere dignus es habitus. Nam* COGNATI IAM *CHRISTI* PER CARNEM EFFECTI SVMVS. Carnem Chriſto ſororem Tertullianus dixit: *Ipſa*, inquit, CHRISTI SOROR *eſt*. Qui carnem Chriſto

ſororem habet, cauere debet, ne carne fiat hoſtis Chriſti. Hanc cognationem cum Chriſto abiurat, qui vt carnem ſuam nutriat, foueatque Chriſti legem temerat, ſæuit in Chriſtum.

Magnum hominis priuilegium, quòd carnem circumferat, qua ſimilis ab hac parte Chriſto fuit, qui vt carnem noſtram eueheret, carnem noſtram induit. Et verò ab alia parte nobilitas iſta noſtræ carnis excuſationum tegmina, quæ alioquin ob debilitatem, infirmitatemque ſuam poſſet prætendere ſibi ipſi præcidit, nam vt ait Sanctus Zeno, de Chriſto loquens: *Qui ſanè ideo carnem eſt dignatus induere, vt* NEMO SE POSSIT PER CARNEM, *cùm iudicij dies venerit,* EXCVSARE. Omnia excuſationis velamina Chriſtus abſtulit carnis noſtræ velamine indutus.

75 Velamen carnem dixi; eſt, ac proinde curare debemus, vt abſtinẽtia tenue hoc velamen reddatur,

& veluti tranſparens, quò celerius moueri in Deum anima poſſit, non carnis quadam craſſitie præpediri. Pulchrè rem verſat Beatus Thomas à Villanoua, dum ait: „ *Nunc quò* VELAMEN HOC TENVIVS EST, AC TRANSPARENTIVS, EO ANIMA CELERIVS MOVETVR IN DEVM, *& magis in ea impetus viget amoris. Quorundam autem velamen carnis craſſiſſimum, & nimia rerum opulentia impinguatum, quorum motus in Deum aut nullus, aut lentus: quorundam verò ita vigilijs, abſtinentijs, alijſq; laboribus* VELAMEN CARNIS *attenuatum, & attritum eſt, vt propter eius tranſparentiam lux illa beata iam oculis animæ aliqualiter transfulgeat; quemadmodum Apoſtolus ait: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; vnde & ad ipſum in odorem vnguentorum ſuorum currunt. Quòd ſi quandoque contingat per rimulas quaſdam, & velaminis rupturas, radios illos Diuini luminis oculos animæ, vel ad modicum fulgurare, tunc*

tota liqueſcit præ amore, & rapido impetu fertur in ipſum, non iam odore, ſed decore eius attracta. Superi luminis radios illi non cernunt, qui corpus craſſum reddere, ac voluptatibus velut infarcire ſtudent. Non ad velaminis illud tenuitatem redigunt, ſed ad noxiam, & diuinum lumen non facilè admittentem craſſitiem.

Extenuanda caro, ne inſurgere in ſpiritum audeat, nimis ille leuis eſt, qui pondus adijcere carni ſtudet. *Vide*, inquit Sanctus Zeno à nimia carnis nos auocans cura: „*Vide, ne forte tu in huius belli congreſſione manus accommodans carni, & auxilia ei quamplurima ſubminiſtrans potentiam eius aduerſus ſpiritum erigas, & meliorem tui partem deteriori facias eſſe ſubiectam. Sicut enim ſtateræ momentum ſi in vnam partem depreſſeris, leuiorem ſine dubio alteram facies, ita in hoc animæ, & corporis iugo, cùm in vnam partem propenſior extiteris, clara erit alterius,*

& manifeſta diminutio: quis enim dubitat cùm corpus luxuria fluitat, carnibuſq; diſtenditur, IGNAVVM, ET OBTVSVM EFFICI MENTIS VIGOREM? Iniurius in mentem, & animum eſt, qui carni obſequitur, ſpiritum deprimit, & per iſtius contemptum, illam fouet, totum illi ſe aptat.

Nimis eſt leuis, apud quem caro 76
ſpiritui præponderat. *Cur animam tuam vilipendis* (iure hanc amentiam damnans Sanctus Bernardinus Senenſis ait) *& ei carnem præponis? Dominam* ANCILLARI; *& ancillam dominari, magna abuſio eſt. Anima quidem, & caro ſunt quaſi duæ ſitulæ in puteo applicatæ, quarum quando vna aſcendit, altera deſcendit. Sic, quando caro infirmatur ſpiritus impinguatur, & è conuerſo. Vnde Apoſtolus ait: Cum infirmor, ſcilicet in corpore, tunc potens ſum, ſcilicet in mente,* quà qui eſt præditus, præcipuam illius partis rationem habeat, quæ eſt præcipua, & animam

à ſui culminis ſuggeſtu ne demens deijciat. Sed alia audiamus, quæ caro offert, dum offert ſe.

Quod in cuiuslibet poteſtate ſit carnem ſuam vulnerare, non item facta iam curare vulnera, hinc colligas à nobis eſſe peccare, Dei verò medicam admouere manum. Sanctus Auguſtinus huc nos vocat, dum inquit: *Sicut ipſam carnem noſtram percutere, & vulnerare cùm volumus poſſumus: vt autem ſanetur, medicum quærimus, nec ita noſtra poteſtate ſaluamur, vt* NOSTRA POTESTATE SAVCIAMVR; *ita ad peccandum anima ſibi ipſa ſufficit: ad ſanandum quod peccatum læſerit, Dei medicinalem dexteram implorat. Vnde dicit in Pſalmo, Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi*. Peccare noſtrum, ſanare eſt Dei; nos animam noſtram vulneramus, ſolus Deus curat vulneratam. Sed iam carnis quoque imbecillitatem, & infirmitatem expendamus, cùm ex illa, ex

ex iſta firma pietatis fulcra formare nobis obuium ſit.

Infirmam carnem accepit anima tanquam elationis remedium, vt efferretur, dum tam vilem ſarcinam ferret. Hinc Sanctus Damaſcenus dixit hominem *ſpiritum, & carnem eſſe, ſpiritum propter gratiam, carnem propter* ELATIONEM, vt poſſet illam facilè comprimere, ſi ſurgeret ſolo ſuæ carnis obiectu. Itaque ſi rectè rem penſemus, caro elationis remedium eſt, vt abutantur, qui carnis cultu efferuntur, & efferantur. 77

Adeo infirmam eſſe carnem Deus voluit, vt à ſua infirmitate ad ſpiritum velut ad fortiorem veluti adigeretur, ſciretque ſui muneris eſſe, animæ ſubijci, non dominari. Opportunè hoc Tertullianus ex Saluatoris collegit verbis, dum infit: *Scimus ex Dominico præcepto, quod caro infirma ſit, ſpiritus promptus, non ergo nobis blandiamur, quia Dominus conſenſit, carnem infirmam* eſſe.

eſſe. Propterea enim prædixit ſpiritum promptum eſſe, vt oſtenderet quid cui debeat eſſe ſubiectum, ſcilicet vt CARO SERVIAT SPIRITVI, *infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipſa fortitudinem aſſumat.* Ambo corruent ſi imbecillior ferre cogatur fortiorem. Ordinem euertit, euertit ſe, qui debiliori fortioris imponit onus.

78 Imperare debet anima, quæ ſuperior, caro parentis imperio ſubſit, animæ obtemperet; & vt carnem obſequentem anima habeat, ipſa obſequatur Deo, ſic anima ad carnem ſe habet, vt ſe habet anima ad Deum. *Tunc rectè*, inquit Sanctus Auguſtinus, *viuit caro* SECVNDVM ANIMAM, *ſi anima viuat* SECVNDVM *DEVM*. Non bene leges ponat anima carni, ſi ipſa Dei leges temeret, ac violet; non meretur inferioris obedientiam, quæ ſuperiori non paret.

Denique vt definiam, & vtili cautione rem obſignem; hoc adijcio,

caro ita tractetur, vt nec habenas ei laxemus, nec nimium premamus; nec concedenda illi omnia, nec omnia neganda, mediocritatis tenenda via eſt; alioquin ſeruire ſpiritui non poterit viribus deſtituta, & iugum excutiet delicijs nutrita. Conſtantinopoli, ſic traditum monumentis legimus, Iudæus Chriſtiano egenti certam auri ſummam mutuò dederat, vti conſtituto tempore, & ſortem, & vſuræ loco duas carnis eiuſdem Chriſtiani vncias reciperet. Chriſtianus ſortem reddit, vſuram negat. Solymanus Imperator Iudæi crudelitate, Chriſtiani neceſſitate animaduerſâ, nouaculam afferri iubet, & ad Iudæum conuerſus: Age verò, inquit, ius perſequere tuum, ex quauis parte fruſtillum exſcinde, ſed caue plus iuſto eximas. Iudæus periculo territus fænori ſpontè ceſſit. Sapienter Barbarus à tam barbara vſura Iudæum auertit. Rem ad ſpiritalia com-

 mer-

mercia transferamus, vſura hîc adeo non eſt damnabilis, vt ſit laude digna; Hinc illud veterum Aſcetarum: *Da ſanguinem, accipe ſpiritum*. Sanguis, & caro datur, ſi caro comprimatur, & quadam mortificationis ſectione feritur. Dat carnem, qui carnem ieiunijs, laboribuſque extenuat; cauendum tantùm ne plus iuſto eximatur, ne langueat, vireſque amittat; quod in alieno corpore perfidus Iudæus non eſt auſus præſtare, præſtet quiſque in ſuo, vt ſit ſuus.

CAPVT XIII.

Senſus in homine quid clament; Senſus tactus quid doceat.

Homo in hoc Angelis prælatus, quòd multa organa meritorum habet, plures *ſenſus*. 79

A quin-

A quinque *ſenſibus* bonorum operum fæcunditas.

Quinque *ſenſuum* cuſtodia quàm neceſſaria. 80

Ex *ſenſibus* virtutum integritas, vt collecta.

Senſus quaſi equi *rationis* fræno regendi. 81

Senſuum vſu in cœlum ſicut aues volare debemus.

A *ſenſibus* quiſque diſcat aliorum *miniſteria* non impedire, nec aliorum inuadere iura.

Senſus tactus rabie laborans coërcendus. 82

Diabolus per *guſtum*, & *tactum* cur homines maximè impetat.

Doloribus ſenſus tactus ſæuities Diuina Prouidentia coërcita. 83

Per *dolores* nos *Deus* ad ſe vrget.

Voluptates corporis axillarum *titillatione* cur comparatæ. 84

Qui aliena *iudicat* ab omni noxio *affectu* ſit immunis.

Tactui humilitas compoſita.

Non

79 NOn nudam homini animam Deus dedit, dedit & corpus, & corporis ſenſus, varias dedit potentias, vt dum plura regeret, & ſub imperij quadam diſciplina retineret, plus mereretur; in qua re prælatus Angelis eſt homo: Angelis quippè nudus datus eſt ſpiritus, quem cuſtodirent, homini licet debiliori, & animam, & corpus Deus dedit, vt gemina hac cura ad Angelorum gloriam eueheretur, factus Angelis par. Benè philoſophatur Ioannes Euſebius: *Corpus tibi copulauit, vt quot ſenſus habet, & diuiſiones potentiarum animæ,* TOT ORGANA MERITORVM HABERES, *tot ſcilicet cruces iſta corporis ſupellectili ſupra Angelos locupletaris: plus voluit de te conſiderare Deus, vt inueheres in cœlum grauiſſimum fimum terræ. Angelis ſolùm cura fuit impoſita vnicum, & ſincerum ſpiritum ſuum ſeruare: at humanæ animæ cùm debilioris naturæ ſit, duplicata ſunt onera impoſita, & ſe, & car-*

nem

nem moleſtam euehere ad æqualitatem Angelorum, & gloriam cœleſtem. Igitur qui aliquem rationis ſenſum habet, inter beneficia locare debet, quod plures à Deo ſenſus acceperit, cùm omnes meritorum inſtrumenta ſint, & plus mereri poſſit, quia & pluribus opulentiſſima merendi habemus inſtrumenta ſenſus omnes, omnes actus; ſupereſt, vt multiplicibus hiſce modis diligentia noſtra reſpondeat, nec ſinamus noſtro torpore ſterilia eſſe, quæ ſunt adeo fæcunda.

Quinque ſenſus corporis, quinque viri animæ dicuntur, vt dum illi iunguntur bonorum operum fæcunditate illi gaudeant. Feſtiuè Vgo Victorinus ad illud ſpectans, quod Samaritanæ Chriſtus dixit, quinque videlicet illam viros habuiſſe; ſic enim rem verſat: „ *Quinque viri ſunt quinque ſenſus corporis, qui ideo rectè dicuntur animæ viri, quia illi naturaliter ſunt copulati, vt per eorum coniunctionem* BONORVM

OPE-

OPERVM HABEAT FÆCVNDITATEM, *& proferat prolem.* Alioquin mundo, & diabolo nubunt, ſi malorum operum edant fœtus.

80 Bona producunt, ſi benè cuſtodiantur, ne vitia in animam introducant, & cum vitijs mortem: nam vt ait Sanctus Hieronymus aduerſùs Iouinianum ſcribens: *Per* QVINQVE SENSVS *quaſi per quaſdam feneſtras, vitiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt ante Metropolis, & arx mentis capi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus, horum perturbationibus anima prægrauatur, & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu. Si Circenſibus quiſpiam delectetur; ſi Athletarum certamine; ſi mobilitate Hiſtrionum; ſi formis mulierum, ſplendore gemmarum, veſtium, metallorum, & cæteris huiuſcemodi per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt, & impletur illud propheticum: Mors intrauit per feneſtras noſtras.* Scilicet morti, & interitui feneſtram aperit, qui ſen-

ſuum

ſuum feneſtras non cuſtodit.

Quinque ſenſibus vtitur homo, & debilis haberetur, imperfectuſque, qui non vteretur aliquo; idem in virtutibus accidit: *Quomodo* (inquit auctor, cuius os aureum, & ab auro nomen) *nobis ſunt* QVINQVE SENSVS. *& omnibus ad id, quod oportet, vtendum eſt, ita etiam* OMNIBVS VIRTVTIBVS: *ſi quis autem ſit modeſtus, & temperans; ſit autem miſericors quidem, ſed auarus; aut ab alienis quidem abſtineat, ſed ſuis non impertiat, & fruſtrà fiunt omnia: non enim ſufficit vna virtus, vt cùm fiducia ſiſtamur ad tribunal Chriſti, ſed multiuaria, & omnis generis, atque adeò omni virtute eſt opus.* Cùm aliquo ſenſu carere quiſque vitet, cur aliqua virtute deſtitui non abhorreat? Non eſt integri ſenſus integritatem in ſenſibus quærere, non in mente. Pergo, & alia ex ſenſibus exſculpo.

Qui natura ſua liberiores ſenſus 81
ſunt, eò cautius conſtringendi ſunt,

ne

ne in præcipitium nos ducant, vt de quolibet illud dici poſſit, quod quendam efferens obtulit Sanctus Gregorius Nazianzenus: CONSTRINGENS SENSVS *in ſe ipſo, qui à natura ſunt erronei, & vagabundi*. Equis diceres eſſe ſimiles, qui niſi regantur, & fræno cohibeantur in interitum ferunt. Præiuit Sanctus Hieronymus, quem ſuperius produxi: *Senſus*, inquit, *corporum* QVASI EQVI SVNT, SINE RATIONE CVRRENTES; *anima verò in aurigæ modum retinet fræna currentium, & quo modo* EQVI *abſque rectore præcipites ruunt: ita corpus ſine ratione, & imperio animæ in ſuum fertur interitum*. Qui ſapit non feret ſe ferri, & reget ſenſus, vt ſaluti illorum conſulat, & quod eſt magis, animæ.

A quinque ſenſuum cuſtodia ſalus eſt, ab illorum neglectu interitus, & perditio. Rem ita deducit Raulinus: ,, *Quinta die factæ ſunt* AVES, *& volatilia ſuper terram, quia qui* SENSIBVS CORPORIS *benè vtuntur, ſe à fluctibus pennis contemplationis ſuſtollunt in altum. Hinc in Valle Sodomorum fuerunt quinque Ciuitates ſubuerſæ, quia malè fuerant ſenſibus corporis vſæ*. Benè ſenſibus vtitur, qui illorum vſu in Cœlum vt auis euolat, in ima deijcietur, qui illis abutitur.

Senſuum organa vicina admodum inter ſe ſunt, ita tamen vt alterum alteri in ſuo munere impedimento non ſit. Rem ſic explicat Sanctus Zeno Veronenſis, dum ait: *In capite, quod præclarius eſt, in homine ſenſus iſti corporei inſtituti ſunt, ideſt viſus, auditus, guſtus, & odoratus: qui omnes vicini, & penè ſibi mutuò cohærentes, breuibus tamen diremptis ſpatijs* IN NVLLO SVIS VSIBVS INVICEM, OFFICIISQVE PRÆPEDIVNT, VEL OBSISTVNT. Idem quiſque in proximum ſuum præſtet, aliena miniſteria nullus impediat, nulli noxia noſtra vicinitas ſit, nullus alterius ſibi vſurpet ius. Quod illi cogi-

çogitent, qui vicinos opprimunt, & aliorum officia, actuſque præſertim, qui dignitatem aliquam indicant, commodum aliquod afferunt impedire ita ſtudent, vt ſoli ipſi appareant, ſoli prædicentur, ſoli eſſe videantur, regnare ſoli.

82 Vt magnum à ſenſibus omnibus nobis periculum immineat, imminet tamen magis à tactu, adeo vt quò latius ſe iſte ſenſus in humano corpore porrigit, eò in maiores nos redigat anguſtias, & maiora inuehat damna niſi coërceatur, vt iure monuerit Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Tactum* RABIE LABORANTEM *coërceamus*; laborat inſania, qui non coërcet; & ſui eſt hoſtis effectus, qui tanquam hoſtem illum non timet.

Hoſtis ſenſus iſte eſt, & illo contra nos maximè vtitur Satanicus hoſtis, quia nouit illum aptiorem ſuæ in nos ſæuitiei oſtendendæ. Benè bonus ille auctor: „ *Grauius*

tentat

tentat diabolus per GVSTVM, *&* TACTVM, *quam per alios ſenſus, eo quòd fortiores ſunt impreſſiones delectationum in illis ratione corruptionis naturæ ex peccato originali*. Nullus ergo eſt, qui ob tactus inſidias tangi timore non debeat.

83 Tactus vim cohibere Deus voluit, ne in nos grauius ſæuiret, dum doloris ſenſu, cuius maximè eſt capax, voluptatem quæ ab illo eſt, temperauit. Quin in hoc maximè Dei prouidentia elucet, quod in omnibus membris ſenſus iſte doloris eſt capax, non item voluptatis, vt dum iſtius ſphæram, liceat ita loqui, coërcuit, damna illa præcideret, quæ ab illo. Nequeo hîc ſupprimere, quæ de hac re Plutarchus habet: *Non ita*, inquit, *multæ ſunt corporis partes, quæ recipiunt voluptatem*, NVLLA NON OBNOXIA DOLORI. *Cernitur enim voluptas maiorem partem in pedum, & manuum articulis, neruiſq; in quibus domicilium habent acerbi, tetri, horrendi*

illi

illi morbi, fluxiones, podagræ, exulcerationes, cancer exuſtiones, putredines. Iam admoue corpori ſapores quoſque ſuauiſſimos, & odores: exiguum prorſus in eo quidquam, quod motu leni, placidoque cieatur, cùm interea ſæpiùs partes reliquæ indignentur, & iniquè ferant: at igne, ferro, mortibus, flagris nulla corporis pars non appetitur, NVLLA EST, QVIN DOLORIBVS TENTETVR. *Aeſtus, algores, febris altè radices agunt, omniaque peruadunt: Voluptates, vt auræ corporis alijs aliæ promontorijs leniter aſpirantes, citò diffluunt, & diſſipantur.* Diuinæ ſe prouidentiæ obijciunt, qui dolores omnes auerſantur, vt liberius, pleniuſque ſenſus huius voluptatibus vacent.

Ferax dolorum ſenſus iſte eſt, vt dum eis vrgemur, vrgeremur ad Deum. Opportunè Guigo inclamat: *O homo, qui* DOLOREM *pateris, vis eum lenire? Volo. Temporaliter, an æternaliter? Aeternaliter. Aeternum ergo linimentum, ideſt,*

Deum

Deum deſidera. Nam ideo te percuſſit, vt eum DESIDERES, *non herbas, non ligaturas.* Vide quàm ingenioſa diuina bonitas ſit, per dolorem ipſum hominem vrget ad ſe.

De tactu hoc Philoſophi, & præcipuè Galenus obſeruant, iudicare vt ritè poſſit de qualitatibus expertem eſſe debere nimij caloris acquiſitij. Quæ res ſi ad animam transferatur, docet vt probè quis aliena iudicet, ab eo AFFECTVS illius calorem eſſe ſubmouendum, quo in externas ſiue res, ſiue perſonas extra rectæ rationis regulas feratur. Vides pleroſque errare, dum alios, dum aliena cenſent, & iudicant; ſi rem intus diſcutiamus, deprehedemus, affectu aliquo irrationabili captos, in errorem decidiſſe.

Ab alio capite tactus à volupta- 84
tibus, & ijs, quæ riſum mouent,
ſubmouet. Cum ſub axilis aliquis
tangitur, in riſum ille quidem effunditur, ſed iniucundum; idem

volup-

voluptates præſtant. Mirum huc gentilem euaſiſſe: Euaſit Plutarchus, dum ait: *Vt* AXILLARVM TITILLATIO *riſum gignit, ſed inſuauem, & ſpaſmo ſimilem: ita voluptates iucundæ, quas corpus ab animo extimulatum non ſpontè capit*. Ne igitur quis nimio voluptatum noxiarum amore tangatur, quid patiatur cogitet, dum ſub axillis tangitur, licet excitetur in riſum.

Denique fuit, qui tactui humilitatem comparauit, tanquam ſine ea viuere vera vita nullus poſſit. Docti auctoris ſunt verba, rem ſic explicantis: „*T* ACTVS EST HVMILITAS, *quia tactus maximè nobis adhæret, vtpotè ſine quo animal viuere non poteſt: talpa enim viuit ſine viſu, muſca ſine auditu, & ſimile inuenitur de alijs ſenſibus, ſed nullum animal viuit ſine tactu, immo aliquid viuit ſolo tactu, vt oſtrea, & concha*. *H*VMILITAS IGITVR AD MODVM TACTVS *maximè dicitur adhærere; quia nihil ex nobis habemus vnde*

ſuper-

ſuperbire debeamus. Qui ſuperbiæ ſpiritu tangitur, neceſſario humilitatis tactu deſtitutus viuere Deo nequit, nequit ſpiritalis vitæ fundamenta ſuſtinere. Vt verò ſenſus tactus ad omnem corporis partem extenditur, ſic & humilitas in rebus omnibus debet oſtendi, ac probari. Ex parte tantùm qui eſt humilis partem cum vera humilitate non habet.

CAPVT XIV.

Ex hominis vultu quædam eliciuntur monita.

Vultus loquax, & animæ *ſpeculum*. 85

Animæ *imago* in *vultu*,

Horologium vt *facies* referat.

Cur *Animæ* ſpiraculum in hominis *faciem* Deus inſufflauerit. 86

Facies compendium pulchritudinis.

I Per-

Perſtrictæ *mulieres* quæ *faciem* pingunt, & *fucant*. 87

Optimus ornandæ faciei *color* pudor, & *verecundia*.

In vultu non à vultu munimen *verecundia*. 88

Splendida *verecundiæ gemma*.

In *vultu ſpicula* quinam habeat.

Vultus in *verecundiæ* fabrica fabricandi.

Modeſti vultus vis. 89

Virtutis *character vultus*.

Vultus varia mutatio *inconſtantiæ* ſuæ hominem monet.

Difficilem eſſe ſui *cognitionem vultus* monet. 90

Principum, qui reipublicæ faciem referunt, fœdior apparet *culpa*, ſi peccent.

85 FVit, qui *loquacem* vultum dixit. Hinc illud illius:

Me ſpecta nutuſque meos, VVLTVMQVE LOQVACEM.

Plerumque enim arcana quæ latent, vultus effudit, & abdita conſilia

ſilia facies ipſa prodit, loquitur vultus, licet alioquin taceat, & monita quæ hîc ex illo eliciemus, ab illius, vt ita loquar, loquutione ſunt.

Quædam ipſius animi imago vultus eſt, vt totus ſe homo nequeat occultare, dum vultum ſuum oſtendit. *Vultus*, inquit Caſſiodorus, SPECVLVM *eſt animæ*, in quo nimirum ipſius animæ imago elucet. Hîc virtus, hîc vitium, nobilitas, maieſtas, grauitas, cæteræ animi dotes apparent. Benè bonus ille auctor de humano vultu: Humanum vultum IMAGINEM quandam animi referre, eique peculiari ſimilitudine reſpondere, ſignificaſſe videtur Moſes, cum in explicanda hominis creatione, ait Deum corpus quidem Adam de limo terræ finxiſſe; mox autem inſpiraſſe in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factum eſſe hominem, in animam viuentem. Cùm enim certò conſtet animam in toto corpore collo-

catam, cur vnius faciei meminiſſet, niſi ea illius eſſet imago, in qua ſe maximè videndum, atque agnoſcendum exhibet; vbi externi omnes ſenſus, internique ſe produnt, vbi motus omnes internarum facultatum, perturbationumque nituntur? Ad eum planè modum, quo in ipſa quaſi HOROLOGII facie, horæ, quas abditæ intus rotæ conficiunt, foris agnoſcuntur. Itaque ſicut in anima imago Dei, ita in facie noſtra ipſius animæ imago conſpicitur. In toto homine nihil eſt anima pulchrius; in toto corpore nihil eſt ad ſpeciem facie ipſa decentius. In qua tamquam in ſpeculo radiante naturæ ſpiritalis decor, facultates, habitus, motus, ægritudineſq; adamuſſim repreſentantur.

86 Præterea in hominis faciem Deus inſufflauit, vt vbi maius homini immineret periculum, ibi Dei auxilium apertius appareret, & fortiores ſenſus redderet aduerſus de-

lectationes. Huc nos duxit Sanctus Ambroſius, dum ait: *Nunc intelligis, qua cauſa Dominus Deus inſufflauit in faciem hominis, ibi enim ſenſus omnis, ibi* SEDES, *atque* ILLECEBRA DELECTATIONIS, *in oculis, auribus, naribus, atque in ore; vt ſenſus noſtros aduerſus delectationem fortiores faceret*. Et ibi hominem ſignatè muniret, vbi timere maiores inſidias, & maiora diſcrimina poterat.

Faciem compendium pulchritudinis, & imaginem animi fuit, qui dixit. Peritè peritus ille auctor ad faciem contemplandam nos vocãs, ait: Facies eſt quoddam quaſi propylæum, in quo humanus animus iura reddit hominibus, & nobiliſſima quæque munera conſilij, & rationis exercet. Et ſicut in capite maiore cum ſplendore, & magnificentia ratio imperat, quam in cætero corpore: Ita magno illi architecto placuit foris coniecturas exhibere throni, & aulæ regiæ, ap-

penſis in ipſo aditu inſignibus multiperitis, quaſi epitoma omnium titulorum nobilitatis ſuæ. Hoc inſigne facies ipſa eſt, ET COMPENDIVM PVLCHRITVDINIS corporatarum rerum, ſicut animus ſpiritualium, ideoque ad illum repreſentandum egregiè fictus eſt. Tantùm qui externam hanc faciei pulchritudinem ſpectat, in ea non ſtet, ad animam per eam eat.

87 Quàm fatuæ, quàm deliræ mulieres, quæ hanc pulchritudinem polluunt, & additis pigmentis deuenuſtant? Nam hoc viri non eſſe indicauit Sanctus Iacobus, dum ait: *Virum conſiderare vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo*: viri enim eſt vultum ſuæ natiuitatis inſpicere; talem nimirum, qualem à natura recepit: mulieres verò, & viri effæminati, qualem habēt ab arte fucatum. Qui enim verè vir eſt, pro flagitio ducit vultum pigmentis vllis inuertere. Quod ſi quis id tentet, is iam non vir eſt, ſed vmbra viri

in

in fœminam degenerans. Ideo non de eo ſermo Apoſtolo. Vultus enim FVCATVS, & PICTVS, non natiuitatis, ſed artis eſt; non ſuus cuiuſque dicitur, ſed mutuatus.

Ornandæ faciei meliorem, pulchriorem colorem non reperias, quam quem offert pudor, & verecundia. Audio, & ſubſcribo Beati Bernardi cenſioni: *Porrò*, inquit, *verecundiam intellige tanquam* COLOREM *in facie, quod hæc potiſſimum virtus, & venuſtatem ingerat, & augeat gratiam.* Colorem alium ſi quæras ad venuſtatem, te ipſum deuenuſtas.

In vultu, qui multis exponit periculis, & ſpectatores, & qui ſpe- 88
ctantur, verecundiam Deus poſuit, vt hoc veluti quodam munimine omnibus conſuleretur, frænumque referret, quo à noxia libertate omnes reuocarentur. Vetus hoc dictum exſtat apud Hebræorum ſapientes: *Homo inuerecundus ad gehennam*, VERECVNDVS *ad hor-*

 tum

tum deliciarum; Ex noſtris Sanctus Bernardus; verecundiam *ſplendidam* GEMMAM appellauit, & *veram, minimèque dubiam bonæ nunciam ſpei, & bonæ indolis indicem*. In vultu autem illam locauit, vt ſtatim irruentibus hoſtibus tamquam fortis turris obijceretur, & inde ſpicula iaceret contra hoſtes. De Sancto Hilario ſolo adſpectu religionis hoſtes conficiente hæc lego.

Iſtius aſpectum ſerpentes ferre nequibant.

Neſcio quæ in vultu SPICVLA *ſanctus habet.*

Habet in vultu ſuo modo ſpicula feriendis hoſtibus, qui modeſtiam, ac verecundiam præfert; alioquin ſpicula occidendis non vitijs, ſed ſpectatoribus habet, qui verecundia non munitur, & laſciuos in quoslibet oculos iactat. O talis cuiuslibet eſſet vultus, vt illi conueniret, quod ad quendam ſcribens, de quodam dicebat Nicolaus

Sancti

Sancti Bernardi Notarius: *Noueram*, inquit, *vultum tuum in* VERECVNDIÆ FABRICA FABRICATVM. Virorum, mulierumque vultus ſi hac ratione fuiſſent fabricati, ſpiritualis fabricæ ruinam non lugeremus in multis, in omnibus non timeremus.

Modeſtus præterea vultus tantam vim ad alliciendas hominum voluntates habet, vt non ſemel plus vultus ita compoſitus effecerit, quam oratio potuiſſet. S. Chryſoſtomus de Sancto Meletio loquens ait: *Erat ſumma voluptas frui illo ſancto* VVLTV; additque non ſolùm docens, aut loquens, ſed *ſi tantùm videretur*, ſatis erat ad inducendam virtutum cæleſtium doctrinam, in eorum qui videbant animos, atque mentem. Da pares, & paria dabunt. Ephræm Syrus ad omnem virtutem factus adeo diſertum, facundumque vultum habuit, vt ſine vllo ſermone omnium animos commoueret, ſi tantùm vide-

 retur.

retur. De eo ita ſcribit Sanctus Gregorius Nyſſenus in eius vita: *Aspectvs eius angelicus abſque vlla oratione ſufficiens erat permouere.* Suos quodlibet ſæculum Ephræmos habuit, habuit qui vultu ad virtutem allicerent, ac exſtimularent. Simeon Metaphraſtes vultum appellat, *virtutis* CHARACTEREM, imprimere illum debet cui adprimitur, & à quo ſpectatur.

Sed aliud ex vultu monitum elicio. Vultus, qui ſæpè mutatur, modo triſtis, modo lætus eſt, modo grauis, modo leuis, dum varios pro rerum, aut etiam temporum, ſtudiorum, affectuumque varietate habitus induit, inconſtantiæ ſuæ hominem monet. Sanctus Zeno de hac vultus mutatione: *Cuius vultus paſſibilis omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnibus* DEMVTATVR; *labore, ætate, languore, ira, gaudio, triſtitudine, totque* INDVAT VVLTVS, *quot animi fuerunt motus; nulluſque prorſus dies, quo iugiter ſibi ſimi-*

lis eſſe videatur. O quando vultum induemus, qui tàm varijs mutationibus non ſit obnoxius! Iuit in exemplum mulier, de Anna ſcriptum in Diuinis litteris eſt: *Abijt mulier, vultuſque illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* Maiorem ſuo ſexu factam, & in melius mutatam ſe ipſam exceſſiſſe, ne dubita, cui affectuum inconſtantia varium vultum non affixerat. A muliere pudeat vinci, quem melior ſexus extulit.

Porrò, quod alienam faciem 90
ſpectare homo facilè poteſt, ægrè ſuam, & nonniſi ſpeculi, alteriuſque rei auxilio illam oculis obijcientis, ſtatim monetur, difficilem eſſe ſui cognitionem, & alienam facilius ſpectari, quàm propriam. Proh quàm iſtuc verum! cæci ad noſtra ſumus, & quæ in alijs acutiſſimè videmus. Et quia notitiam amor ſequitur, dum difficilè vultum ſuum cognoſcere homo poteſt, & promptè alienum, ſtatim docetur, ne noxio affectu, & amo-

re, qui proprius dicitur in ſua feratur; aliena promptius ſpectet, efferat, admiretur, amet etiam, ſed innoxiè, ac innocenter; alioquin ineptus eſt ordo, quo quis ſe neglecto in externa fertur, foras totus prodit. Inſeri hîc poſſunt, quæ Vgo Victorinus habet: *Ego igitur, quia* FACIEM MEAM, ET SPECIEM VVLTVS MEI *qualis ſit, contemplari nequeo, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur, affectum dilectionis meæ extendo*. Externus ſui eſt cultor, qui externa tantùm amat, & intimior fit ſui hoſtis, qui foras exit, mentis ſuæ agrum non excolens.

Denique vt macula quælibet, & næuus in vultu magis apparet, & fœdior eſt, magiſque pulchritudini officit, ſic & culpa quælibet, quilibet defectus maximè conſpicuus eſt, & ſpectatorum offendit oculos, ſi ſuperiores, principeſque afficiat, qui communitatis, & Reipublicæ faciem referunt. Optimè

hîc

hîc cadunt, quæ nobilis auctor habet: „Quemadmodum fædior næuus habetur, QVI FACIEM OCCVPAVIT, quam qui aliam corporis partem, ita grauius, fædiuſque viri, aut fœminæ principis, quæ Reipublicæ FACIES QVÆDAM EST, quam aliorum peccatum eſt. Igitur ſeriò cogitet vir, aut fœmina princeps, non vnam ſuam eſſe incontinentiam, neque in vno capite ſtare, abit ad plures: & ferè quot exempla, tot crimina: cùm tota frequenter vrbe, aut prouincia, propè omnis incontinentię cauſſa vna ſit procerum incontinentia; nec vllus eſt, qui ſequi erubeſcat, quod in Primoribus videt, & decus etiam plerique putant, & gloriæ ſuæ partem, ſi Principem factis referant. Hæc ſi Principes, & qui alijs præferuntur, ſeriò cogitarent, ab ijs ſe criminibus ſubmouerent, quæ ab alijs viſa, fœcundo fœnore in alijs multiplicantur. Audite qui præſidetis, & vt minus alij peccent, in hominum oculis

ne

ne peccetis, imò, vt plenè vobis conſulatis, nec in Dei; alioquin maiora erunt veſtra crimina, erunt plura, quò vos maiores, quò pluribus imperatis.

CAPVT XV.

Capitis forma, & ſitus quid moribus informandis offerat.

Mens in capite velut in *arce*, aut capitolio. 91

Qui ſurſum habet *caput*, habeat & *mentem*.

Cæleſtium rerum *contemplationi* natum hominem, caput hominis indicat. 92

Capitis figura vt *cœlum* referat.

Cœlum ſub pedibus habere, & *negligere* cœleſtia monſtruoſa res eſt.

Caput totius corporis *caminus*. 93

Prælati eſt noxias, & ſuperfluas *curas*

ras velut *fumum* euomere.

Carnis nullam, aut exiguam *curam* habendam caput docet.

Ijs, qui in *Republica caput* referunt quid præſtandum. 94

Superiores quales erga *ſubditos*, quales erga ſuperiores ſubditi eſſe debeant, caput, & membra docent.

Subditis ſe *ſuperiores* demittant, vt caput cæteris membris. 95

Superior licet aſperè *corripiat* mollis intus ſit.

Chriſto velut *capiti* iungantur, qui meritorum eius influxu cupiunt gaudere. 96

Terrenæ *cogitationes*, & leuia *peccata* horrendum monſtrum vt forment.

CAput iſtuc non implebit tantùm, ſed & exornabit caput ipſum hominis, & illius forma, ac ſitus; nec enim decens erat, vt quod in homine præcipuũ, in hominis cõſideratione ſilẽtio premeretur. 91

Caput in homine arcem quandam referre, in quam ſe mens velut regina recipit notatum ab alijs eſt. Benè ille:

Mens regina caput ſedem ſibi legit in ARCE.

Chalcidius quoque in Timeo Platonis rationem dixit obtinere ſedem in capite, *tanquam totius corporis* CAPITOLIO. Natura ipſa indicare hoc videtur, dum ſtatim hominis caput tegit, cætera membra nuda relinquit. Scitè Ioannes Euſebius: *Solum,* inquit, *caput inter humanos artus nudos protexit, & induit, reuerita in* ARCE *ac* CAPITOLIO *ſuo animum, quo integro, & curato omnia in tuto ſunt, cuncta incolumia manent.* Alij quoque caput arcis titulo donauêre. Claudianus:

,, *Alta capitis fundauit in* ARCE.

Alcimus Auitus:

ARCEM *capitis ſublimi in vertice ſignat.*

Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis: *Ipſam capitis ſui* ARCEM *ambitu crinium conte-*

contegat. Victor Vticenſis: *vſque ad* ARCEM *capitis diſſipabat.* Sed ſitum ipſum capitis expendamus.

Surſum caput habet homo, vt ſitu ipſo ad cœleſtium rerum amorem inuitetur, vt cœlo ſe natum ſciat. Alioquin feriri quilibet illis verbis poterit, quæ in eos torquet Sanctus Bernardus, qui ima, & terrena cogitant: *An non confunderis ſurſum caput habere, qui* SVRSVM COR NON HABES? Quid refert hominem caput habere erectum, ſi corde per terram repat? *An non* REPERE EST IN TERRA, inquit idem melleus Doctor, *carnem ſapere, carnalia deſiderare, carnalia quærere?* Non dictum homini vt per terram ſerperet, dictum hoc ſerpenti in pœnam eſt. Cur ergo tàm fatuus homo, vt ſpontè ei ſe pœnæ adijciat, quæ inflicta ſerpenti?

Cœleſtium rerum contemplationi natum hominem non capitis tantùm erectio probat, ſed, & ſtructura. Caput, notarunt anatomiæ 92

periti,

periti, duodecim à tergò muſculi attollunt, anterius duo tantùm demittunt, vt ſcilicet in cœli, cœleſtiumque adſpectu minus fatigaremur. Plura attollendo capiti auxilia natura dedit, quàm demittendo, tanquam hoc maximè ſpectaret in homine, vt homo Cœlum, cæleſtiaq; ſpectaret, & in ſuperarum rerum cogitatione mentem figeret.

Sed & figura ipſa capitis etiam tacens aliquid loquitur. Rotunda capitis figura eſt, & cœlum ipſum refert. *Caput*, inquit S. Anſelmus, *eſt rotundum in* CÆLESTIS SPHÆRÆ *modum, in quo duo oculi, vt duo luminaria in cœlo micant, quod etiam decem foramina, vt ſeptem cœlum harmoniæ ornant*. In cœlum igitur homo feratur, cuius caput cœlum refert.

In capite cœlum vidit etiam Arnoldus Abbas Carnotenſis, qui ita philoſophatur: *Conſidera*, inquit, *in capite humano in ſubſtantia cerebri quaſdam cellulas, ſub quadam quaſi camera* CÆLI *teſta ſuperiori conſti-*

tutas,

tutas, & quaſdam pelliculas, quas miningas vocant, cerebrum inuoluentes, vt quaſi nubes aquis vaporalibus, calorem ſuperiorem humectent, ne nimia ſiccitate vitalis ille motus areſcat. Deinde quaſi in FIRMAMENTO *oculi duo magna luminaria micant, interiori quidem igne ſemper accenſa*. Cœlum igitur cogitet, qui capite cœlo eſt ſimilis, alioquin nil proderit, oberit potius, ſi capite quis cœlum repræſentet, cœlum, cæleſtiaque contemptu ſub pedibus ponat. Monſtri loco haberetur, ſi caput quis SVB PEDIBVS haberet, & res erit non ſolùm monſtruoſa, ſed maximè noxia, ſi quis hac amentia corripiatur, vt ſpontè cœlum, quod capite ſignificetur pedibus veluti conculcet, dum contemnit, totus terrenorum amore poſſeſſus.

Caput in homine ſpecta mentior 93
ſi non domus caminum referre tibi videatur; fumum caminum foras euomit, & noxias curas, ſuperfluaſque ſolicitudines prælatus. Rem

ita

ita probæ notæ auctor conficiebat: *Eſt*, inquit, *caput totius corporis* CAMINVS, *& tectum, & ideo multarum fumoſitatum à ſtomacho aſcendentium eſt receptiuum; & ideo fecit Deus illud poroſum, & foraminibus plenum, vt per poros occultos, & foramina manifeſta eijceretur ſuperfluum, ne fieret receptaculum naturæ mortiferum. Iſtæ multæ* FVMOSITATES *ad cerebrum aſcendentes, ſunt multæ ſolicitudines, & anxietates, quas oportet Prælatum habere, ſed tamen ſuperfluas curas, & anxietates debet abijcere, ſiue per ſecretas conſiderationes, & orationes, ſiue per manifeſtas, & vtiles occupationes*. Totam domum à fumo liberare camini eſt, & ſuperiorum noxias curas, & cogitationes, quæ fumum ſua vanitate referunt, à ſubditis ſubmouere, ita tamen eas apud ſe minimè retineant, ſed foras emittant. Camino cum ſuperiore comparaui, illorum eſſe innui, proijcere, quicquid eſt noxium, ita tamẽ vt fumi tranſitu fuliginibus non

appa-

appareant nigri; quod in caminis domorum deſiderare quis poteſt, non obtinere, hoc in ſpiritualibus eò erit facilius, quò diligentius ipſi noxiorum affectuum, curarumque fumum à ſe reijcient.

Parum carnis, ac pinguedinis, ſi alia membra reſpiciamus, caput onerat, ne ſcilicet ſenſuum vis obtunderetur, *in quo*, vt ille ait, *ſignatur, carnis aut* NVLLAM *aut* EXIGVAM CVRAM *habere debere, qui alijs præeſt*. Præterea prælatus parum carnis habet, ſi à nimio ſuorum amore ſit liber, nec conſanguineorum noxio affectu afficiatur.

Vt verò in homine præcipuum 94
membrum caput eſt, ſic & præcipua illius eſſe cura debet, atque cuſtodia, adeo vt à capite ad aliorum membrorum curam eatur. Idem in ijs præſtandum, qui in reipublicæ corpore caput referunt, cæteros regunt, ſuper alios ſunt. Aptè ille, qui VViſigothorum leges ad nos tranſmiſit: *Benè*, inquit, *Deus*

condi-

conditor rerum diſponens humani corporis formam in ſublime caput erexit, atque ex illo cunctas membrorum fibras exoriri decreuit: vnde hoc etiam à capiendis initijs caput vocari percenſuit. Formans in illo, & fulgorem luminum, ex quo perſpici poſſent, quæcunque noxia concurriſſent, conſtituens in eo, & intelligendi vigorem per quem connexa, & ſubdita membra, vel diſpoſitio regeret, vel prouidentia ordinaret. Hinc eſt & peritorum medicorum præcipua cura, vt ante capiti, quam membris incipiant adhibere medelam. Quæ ideo non immeritò ordinabiliter exerceri cæteris cenſetur, cum ab artificis peritia hæc diſpenſari pateſcunt. Quia ſi ſalutare CAPVT EXTITERIT, *rationem colligit, qualiter curare membra cætera poſſit. Nam ſi arcem moleſtia occupauerit capitis non poterit in artus dare deriuationes ſalutis, quas in ſe conſumpſerit iugis cauſa languoris. Ordinanda igitur ſunt primò negotia* PRINCIPVM, *tutanda ſalus, defendenda vita. Sicque in ſtatu, & negotijs*

tijs plebium ordinatio dirigenda, vt dum ſalus competens proſpicitur Regum, fida valentibus teneatur ſaluatio populorum. Quàm aptè omnia, quàm cohærenter! Membris igitur omnibus vt conſulatur, prima ſit, ac præcipua capitis cura, & ſuperioris reformentur mores, vt ſubditorum quæratur ſalus.

Præterea vt princeps, ac ſuperior capitis titulum dignè ſuſtineat, & ſubditorum velut membrorum obſequium habeat, debet in ſubditos omni beneficentiæ genere influere. Præſtat caput membris, quod poteſt, præſtant membra capiti, & quod poſſunt, & quod debent in cuiuſdam gratitudinis ſignum. A probo calamo rem excipe ad noſtram ſe mentem flectente: *Maximo inter ſe amoris vinculo caput, & membra copulantur, dum* CAPVT *quidquid habet ſenſuum, & virium ad membrorum ſuorum incolumitatem, & commodum dirigit:* MEMBRA *verò huius beneficij, magnitu-*

gnitudine deuincta, ſe cuiuis diſcrimini propter capitis ſalutem offerunt, & perire ſe quàm caput malunt. Igitur à capite diſcere ſuperior poteſt, qualis eſſe in ſubditos debeat, ſubditi qui membra referunt à membris, quales ſe exhibeant ſuperiori. Abit ille à ſuo munere, ſi non influat quod habet, ſed ebibit, & exſucgit, quod habent ſubditi. Abeunt à ſuo munere ſubditi, ſi adeo ſe ob ſuperiorem non ſe exponant diſcrimini, vt ſuperiorem in diſcrimen ponant, ſi eius famam lacerant, eius nomini detrahunt.

95 A capite Rex, & ſuperior diſcat ſe demittere, cum inferior, cum ſubditus aliquod patitur: *Corporis,* inquit Sanctus Chryſoſtomus, *& membrorum exemplo mutuò compacti ſumus. In corpore autem tametſi pes vulnus accipiat humi* CAPVT INCLINARI *videmus: & eò nihil venerabilius, ſed tamen dignitatem ſuam non nouit calamitatis tempore.* Indignè dignitatem ſuperior ſuſtinet,

qui cum ſubditi neceſſitas exigit, non ſe flectit, ac demittit, opem quam poteſt indigenti daturus.

96 Quàm incommoda capitis putaretur erectio, ſi infra flecti non poſſet? Par ratio, & de illis eſt qui ſupra alios; merentur à dignitate dimitti, niſi demittant ſe, & inferioribus ſe aptent.

Aliud præſulem, quem præfert, caput docet, nimirum vt ita exſtimè, cum eſt opus, rigorem, duritiemque oſtendat, vt intus totus mollis, lenis in compatiendo ſit. Opportunè ille: ,,CAPVT *quamuis multam videatur exterius habere duritiem, multam tamen habet intus mollitiem in medulla, itaut ipſius mollitie irrigetur totius corporis machina. Sic* PRÆLATVS *quamuis ſe debeat quandoque durum oſtendere exterius, tamen in compatiendo* MOLLIS *debet eſſe interius.* Si totus durus, oſſeuſq; ſit præſul, ac ſuperior capitis locum ineptè tenet; deliquentes cum eſt opus durè corripiat, ſed intus

ſit mitis, ijs, quos duros patitur, compatiatur mollis.

96 Porrò vt in membra caput influat, ac necti cum capite debent, nec iſtuc influeret, niſi huic illa necterentur; ſic ſubditi à ſuo ſuperiori abiungi non debent; quod præcipuè locum in Chriſto habet, qui caput eſt noſtrum. Pulchrè pius ille auctor: *Quemadmodum*, inquit, *corporis membra* CAPITI *coniuncta eſſe debent, quò virtutis eius influxum participem, ita* CHRISTO CAPITI IVNCTOS NOS ESSE OPORTET, *quò meritorum eius influxum, atque virtutem percipere valeamus*. Ineptum ſe influxui recipiendo facit, qui ſe à Chriſto ſeparat.

Caput denique hoc habet, vt præcipuè hominem à brutis diſcriminet. Monſtrum cenſeretur, ſi corpori humano bouis, equi, aut aſini, ſeu leonis caput videremus impoſitum. Quis crederet intus in anima fieri, quod extra non cernimus apparere? Quot reperias, qui

ex-

exſtimè homines videntur, & tali ſunt deformitate notabiles, vt monſtruoſiores in anima ſint, & quod eſt peius, ſe faciant, quàm ſi hominis corpore bruti circumferrent caput? Hoc autem præſtare, qui terrenarum rerum cogitationes, affectuſque intus fouent, qui leuiſſima quæq; peccata leuiter admittunt, grauiter non minus quàm aptè ſic euincebat Ioannes Euſebius: „*O homo quàm horrendus hominibus eſſes, ſi appareres quodam die* CAPVT *bouis, aut equi habens in tuo corpore humano: Peius eſt; ſi coram Deo, & Angelis in animâ tuâ diuinâ factâ per gratiam, tractes* COGITATIONES DESIPIENTES, ET OTIOSAS RERVM TERRENARVM, ET BRVTALEM SENSVM COMMODI TVI: *imò maior proportio eſt inter corpus humanum, & brutum, quæ in eodem gradu rerum ſunt, quàm inter gratiam, & peccatum etiam leuiſſimum. Quare deformitas animi defectus venialis excedit omnem horrorem, & de-*

 for-

formitatem corporalem, *non modò quæ quæ ſit*, *ſed quæ cogitari poſſit*, *aut ſit poſſibilis*. Hoc ſi seriò quiſque cogitaret non adeo facilè cogitationes illas admitteret, quæ hoc monſtrum formant, cuius comparatione cætera quæ putantur monſtra, monſtra vix cenſeas. Audite, mortales, cogitationeſque eas reijcite, quæ admiſſæ à vobis, pulchritudinem mentis veſtræ adeo deuenuſtant, vt cum illa monſtrum forment, alioquin hoc quoque inter monſtra referendum, quod in anima ſua homines admittant, quod in corpore vitant, & horrent.

Ad hanc legem ſi homines
penſemus, monſtra
deprehendemus,
quos re-
ctè
formatos homines
putabamus.

✠

CAPVT XVI.

Capilli doctoris vt munus exerceant.

Capilli nutrire vt mentem poſſint vtilium monitorum exhibitione. 97

Capitis *honor*, & decor *cæſaries*.

Minima in Dei *obſequio* negligenda non eſſe docent capilli.

Crinis humilitatem commendat, & docet. 98

Capilli æqualitatem, & *vnitatem* ſeruandã indicant, dum tondentur.

Capillorum ſimilitudine *terreno amore* an quis teneatur probatur.

Carnis deſideria tẽperare debemus, ſi euellere non poſſimus. 99

Perſtrictæ *mulieres*, quæ *crinibus* ſpectatores ferire ſtudent.

Capillitium maculandis aliorũ mentibus quænam adhibeant. 100

Mulieres crinium colore *inferni* ignibus præludunt.

Reprehenſæ Chriſtianæ *mulieres*, quæ compoſitis *crinibus* Deum non placant, ſed irritant.

Aptæ mulierum *comæ* ſpiritualium acta virtutum. 101

Capillis ſe in Cœlos trahendos aliqui putabant; cauendum ne nimio cultu illorum ad *infernum* ducamur.

Capilli dum *caneſcunt*, vitæ finem adeſſe docent.

Ad *vitæ* littus, terminumque perueniſſe ſe cogitet, qui *caniciei ſpumam* in ſe videt. 102

Homini maximè neceſſarium *mortis* inſigne.

Mortis aduentus poſt tergum minimè reijciendus.

Mentis, & animæ *canities* maximè probanda.

Proba *canities*, à qua *nigredo* peccatorum abeſt. 103

Canitie tamquam *pluma* vtamur vt in cæleſtia euolemus.

Coma noſtra ſit Chriſtus.

MEdicorum hæc aſſertio eſt, 97
quam & res ipſa firmat; pilos nulli animali deſeruire ad nutrimentum poſſe; Ioannes Montanus noſter: PILI, inquit, *nullum animal nutriunt*; mirum, qui corpori nutriendo inepti ſunt, nutrire mentem poſſunt, ſi in mentis ſtomachum, vt ita dicam, traijciantur, quæ illi offerunt, & ſui exhibitione exhibent. Nihil adeo vile in homine eſt, quod magnam non poſſit vtilitatem parturire, ſi ſeriò cogitetur.

In primis capilli ipſi docent nihil eſſe tam vile, quod ſit negligendum. Fuit qui capillos *capitis honorem* appellauit. Benè Sammonicus:

Eximium capitis tactu deiecit HONOREM.

Hoc eodem titulo donati lanugo, & pili, qui genas ornant. Statius in Syluis ita cecinit:

O vbi venturæ ſpes non longinqua iuuentæ,
Atq; genis optatus HONOS.

Honor, & decor hominis capitis eſt cæſaries; tolle illam, & quid illa, cum adeſt, præſtet, agnoſces illius pulchritudinem, ac vtilitatem ſic expendebat Sanctus Ambroſius: *Quàm ſpecioſa* CÆSARIES *? quàm reuerenda in ſenibus? quàm veneranda in Sacerdotibus? quàm terribilis in in bellatoribus? quàm decora in adoleſcentibus? quàm compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris? Alium ſexum crinita, alium tonſa non decet. Ex arboribus licet, quæ humani ſit gratia capitis, æſtimare. In capite arboris omnis eſt fructus, ibi omnis eſt pulchritudo: illius coma nos aut à pluuijs tegit, aut defendit à Sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt. Quanto igitur* MAIOR HVMANI CAPITIS ORNATVS EST, *qui cerebrum noſtrum, hoc eſt, ſedem, originemq́; noſtrorum ſenſuum capillis capitis munit, & veſtit, ne aut frigore vexetur, aut æſtu.* Parum Deo fuit neceſſitati conſulere, niſi conſuleret etiam decori.

Quàm magnus homini decor à re non magna! vt à ſe diſcat homo nihil negligere; & minimorum quoque habere curam. Cùm Deus tàm prouidus in ijs quoque ſit, quæ ad ornatum, & ad decorem noſtrum ſpectant; cur nos in eius obſequio negligemus, quæ licet minima ſint, minimè tamen ſunt prætermittenda.

Præterea in capillis ſuis habet 98
quiſque quandam humilitatis imaginem. Referre crinem debet, qui crine ornatur; referet ſi humilitati litabit. Crinis humilitatem docet, commendat humilitatem de huius crinis vi, ac virtute ait ſponſus in amoris Cantico: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Benè Beatus Bruno: *Vnus crinis, qui non erectus ſtet, humilis iacet ipſa* HVMILITAS *eſt; quâ collum Virginis decoratur;* hoc crine ſi virgo deſtituatur, placere ſponſo non poteſt, & adeo eum victrix non vulnerat, vt

iaceat ipſa ſuperbiæ telo vulnerata.

Aliud dum tonduntur docent capilli, æqualitatem ſcilicet ſeruandam, rem ſic Sanctus Auguſtinus conficit: *Certè viliores ſunt cæteris membris capilli tui. Quid vilius in corpore tuo capillis tuis? Quid contemptius? Quid abiectius? Et tamen ſi malè te tondeat, iraſceris tonſori, quia in capillis tuis* NON SERVAT ÆQVALITATEM: *& tu in membris Chriſti non tenes* VNITATEM? Vilior capillis ſuis fit, qui in capillis ſuis fieri, quærit, quod ipſe in Chriſti membris non ſeruat.

Aliud quoque clamant capilli, dum præciduntur, nimirùm à nobis eſſe, quod in rerum ſuperfluarum iactura dolore corripiamur. Capilli ſuperflua referunt; cui capilli tantùm ſecantur, nil ſentit doloris, ſentit ſi à radice euellantur. Idem hîc fit; niſi nimio amore terrena in nobis radices figant, nihil dolemus, cum auferuntur. Meditatè in meditationibus ſuis

Guigo: *Si*, inquit, *omnes capillos capitis tui abſcindat quis, non te lædet, niſi cùm eos, qui capiti adhærent tetigerit. Sic te non lædent, niſi ea quæ per concupiſcentiam* IN TE FIXERE RADICES, *quis tangat? quæ quò plura fuerint, & magis amata, eò plures, ac vehementiores dolores parient.* Non parerent, ſi non amarentur. Nimium amorem à te aufer erga terrena, nec dolebis nimium, ſi à te auferantur.

Præterea indicat hæc eadem 99
res ſuperflua amputanda à nobis eſſe, admittenda quæ neceſſaria ſunt. Benè philoſophatur Richardus Victorinus, dum ait: *Ad* PILOS *itaque pertinet carnalis voluptas: ſecularis vanitas, & eiuſmodi deſideriorum qualiſcunque ſuperfluitas.* PILVS *ſine læſione præciditur, ſine læſione non auellitur. Sic abſque dubio motus carnis ſine periculo valet, & debet amputari in ſuperfluis: & tolerari in neceſſarijs. Hinc eſt quod Leuitæ iubentur pilos carnis ſuæ radere non auellere,*

namq; deſideria carnis oportet TEMPERARE *quæ non poſſumus* EXTIRPARE. Vides vt vtilia etiam ab ijs quæ inutilia putabantur, colligere quiſque poſſit, & debeat.

Porrò quia hîc ſumus, nequeo à me impetrare, quin mulierum leuitatem vellicem, quæ totæ in crinium, capillorum cultu ſunt, & tempus, vt reliqua præteream, quæ res eſt pretioſiſſima, in re adeo exili conſumunt; idque ſæpè & in ſui, & aliorum perniciem, tanquam ſi retia animis capiendis texerent; quibus & ipſæ caperentur. Scribit Iulius Capitolinus in Maximis, & refert Cælius Rhodiginus, tanta fide Aquileienſes contra Maximinum pro Senatu fuiſſe, vt funes de MVLIERVM CAPILLIS necterent, neruorum facultate defecti excutiendis ſagittis; Hac arte contra homines ſæpè dæmon vtitur; neruis deſtitutus, muliebres capillos admouet, vt ſagittis leues ſpectatores feriat. Felicior illa, quæ ſponſum

ſuum crinibus ſuis vulnerauit, nec ſponſum puduit vulneratum ſe fateri.

100 Hybernorum gens, vt eſt ab omni humano cultu longè alieniſſima, vix alium capillitij vſum agnoſcit, quam ad detergendas manus à pinguibus cænæ ſordibus, cæteraque omni illuuie: qua de cauſa ingentes concretorum crinium ſpiras alunt in humeros vſque dependulas, quibus vice mantilium diffluentes pinguedine, ciboque digitos ſolent inijcere, eoque pacto extergere. Quid hîc illæ, quæ crines alunt, ac etiam pingunt, in eamque redigunt formam, qua irretire ſpectatores poſſint, nec crinibus vtuntur manibus detergendis, ſed aliorum, & ſuis mentibus ſpurcandis, ac maculandis?

101 Rufum, igneumque colorem quæ capillis artificio quærunt, inferni quendam typum gerunt, & malo omine inferni ſe flammis tradendas, vel tacentes clamant. Hinc

illud Sancti Hieronymi fucum omnem à molliori ſexu etiam in hac parte amouentis: *Nec capillum irrufes, & ei aliquid de* GEHENNÆ IGNIBVS AVSPICERIS; melius ſibi mulier ominetur, quàm vt crinium colore inferni ignibus præludat.

Olim mulieres crinibus templa verrebant, vt hac ratione Deorum mitigarent iram. *Stratæ*, inquit Liuius, *paſſim matres* CRINIBVS *templa verrentes, veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcunt.* Pro falſis numinibus verum ſubſtitue, & imitari noſtræ poſſunt; quæ ab hac mente, ac more abeunt; ſi fucatis, compoſitiſque crinibus, adeo Deum non placant, vt irritent potius, nec finem peſtis obtinent, ſed noxiam vitiorum peſtem inducunt.

101 Crines, quos ornare, comas quas colere mulieres innoxiè poſſint, imò cum laude, & fructu debeant mulieribus oſtendebat Sanctus Paulinus, dum ad Seuerum ſcribens,

ait:

ait: *Sint mulieribus noſtris* COMÆ SPIRITVALIVM ACTA VIRTVTVM, *ieiunia, miſericordia, orationes.* Totas in huius comæ cultu mulieres velim, vt leuitatem, qua malè audiunt ob ſuorum capillorum inanem, & noxium cultum, melioris comæ ornatu meliori abradant. Quæ in mulieres, ad mulieresque diximus, in viros, & ad viros dicta volumus, quorum in hac re lêuitas facit, vt pari cum fœminis remedio indigeant, cum pari cum illis laborent morbo, niſi quod in fortiori ſexu nocentius hæc lues ſerpit.

Moneo igitur vtrumque ſexum, vt nimium capillorum cultum caueat, ne in re leui non leuiter peccet, & pro peccati grauitate grauiter puniatur. Legimus non ſemel capillorum turri dæmones incubaſſe, tanquam laſciuiore capillorum ornatu dæmon inuitaretur, qui capillis homines traheret ad tartara, & in capillorum ciris cin-

cinniſ-

cinniſque caſtra locaret, ibique homines impugnaret, ac tandem victos ad infernum compelleret. Quibuſdam populis hæc mens inſidebat, vt crederent, ſe per capillos in cœlum efferendos, quos idcirco ſummo excolebant ſtudio. De Sinis ita ſcribit Ioannes Petrus Maffæus: CAPILLVM *tam diligenter nutriunt, quod credant, eo ſe tamquam anſa* IN CÆLVM ALIQVANDO SVBLATVM IRI. Nos hac inani non tenemur ſpe, timendum potius, ne nimio, & ad fraudem capillorum cultu compoſita, ad tartara trahamur. Sed antequam finio de capillorum canitie nonnulla exhibeo, quæ vtilitatem non leuem ſecum afferunt, licet ex re leui ſint nata.

Boni magiſtri capilli ſunt, qui hominem docent, quod doctrinis omnibus eſt ſalubrius; vitæ nimirùm finem non longè eſſe: Capilli dum caneſcunt, ad mortis cogitationem hominem vocant. *Capitis*

tui

tui pili, inquit Sanctus Iſidorus Peluſiota, FINEM *tuum* TE DOCEANT. Magiſtrum tecum ſemper habes, & circumfers quocumque te fers. Canities *pilus cadaueroſus* eſt dicta, quia prænuntia ſit cadaueris iam iam futuri. Maris vndæ in litus illiſæ albam, & canitiem quandam referentem emittunt ſpumam; non diſpari ratione vbi canities velut ſpuma in homine apparet, indicio eſt, illum ad vitæ littus perueniſſe. Feſtiuè Italicus olor cecinit, mortalium oſcitantiam in hac re mortalibus obijciens:

Del pelago mortal di noſtra vita
Hormai quaſi finita
E la canitie l'onda à riua giunta,
Quaſi candida SPVMA *iui ſi ſcorge,*
Nè l'huom eſſer al lido anco s'accorge.

Sanius conſilium, qui ſapit, bibat, ſpumam hanc canitiei, qui in ſe videt, littus, vitæque huius terminum tangere ſe cogitet, & à 102

terre-

terrenarum rerum æſtu ſe ſubducat, fluctibuſque pelagi huius relictis, firmioribus, ſolidioribuſque inſiſtat.

Nec caſu fit, vt euidentius in homine canities accidat quàm in cæteris animalibus, *cùm enim catera non* CANESCANT *manifeſtè in ſenectute*, inquit Philoſophus, *homo maximè omnium ita afficitur*; quia nimirum maximè homini neceſſarium mortis inſigne, & cum illo mortis cogitatio.

Sed in hac re illud indiſcuſſum abire non debet, quod idem Ariſtoteles ait, primores ſcilicet partes prius caneſcere quàm poſteriores; *Tempora hominum*, inquit, *& partes* PRIMORES, *quàm* POSTERIORES *celerius canitiem ſentiunt*; vt nimirum facilius, celeriuſq; mortis impendẽtis, & aduentatis admoneatur, & ſtatim ſpectatoribus occurrat, quàm velox currat mors. Noluit Deus aliquem poſt tergum, vt ita loquar, iacere, quòd in anterioribus ſtatim parti-

partibus apparet, canitie ſcilicet ad mortem ſe citari, vt canos ſenſus iungat canis capillis, niſi quod morum canities præcurrere capillorum canitiem debet, vt verè poſſit ſibi quiſque illud occinere, quod Cornelius habet:

„*Caneſcant alij* MENTO, *nos* MENTE: *capillo*,
„*Nos animi facie, nos pectore, tempora quippe.*
„*Virtutem non prima negant, non vltima donant.*

Plerumque qui canitie ſunt notabiles, ita albos capillos ferunt, vt nigros illis mixtos geſtent, quæ res ſuperiorem poteſt admonere, illius eſſe muneris inter ſe differentes vna mente ſuſtinere, nec vni parti adhærere alia damnata. Franciſcus Sfortia Mediolanẽſium Dux, refert iſtuc Egnatius, cùm adhortarentur eum familiares, vt Guelfam factionem omninò tolleret, quæ illi, eiuſque imperio infeſta inprimis eſſet: *Pudeat*, inquit, *vos me*

me Principem recens Mediolanenſem totius populi conſenſu creatum, ad alterius partis internecionem adhortari, quæ hunc Principatum volens mihi tradiderit. Aſpicite CANOS IN CAPITE MEO CAPILLOS, ET NIGRESCENTES EX ALIA PARTE, QVOS PRÆFERAM VT ALTERI ALTERIS NON INVIDEANT; Eandem mentem in illis omnibus exigas, qui cæteris præſunt, ne ita vnam partem in ſuis ſubditis erigant, vt aliam premant, perimantque.

103 Denique capillorum albedo tacitè nos monet, vt vitæ candori litemus, peccata quæ nigrorem referunt vitemus, alioquin ſenectus noſtra iuuenilis eſt, ſi hac albedine careat, ſi hoc nigrore inficiatur. Feſtiuè Sanctus Auguſtinus: *Videtis*, inquit, *qaemadmodum caneſcat caput, &* INALBESCAT *quantumcunque ſenectus accedit. Qui bene ſeneſcit ordine ſuo, quæris illi aliquando in capite capillum nigrum, & non inuenis: ſic cùm fuerit vita noſtra talis,*

lis, vt quæratur NIGRITVDO PECCATORVM, *& inueniatur, ſenectus tua iuuenilis eſt, ſenectus iſta viridis eſt, ſemper virebit.* Senectus puerilis eſt quæ mores non habet albeſcentes, licet alioquin albeſceſcat capillus, ſicut è conuerſo, iuuentus cana eſt, quæ morum canitiem annorum viriditati, capillorumque nigredini iungit. Prudentius canitiem *niuem capitis* vocauit; niuem qui exſtimè præfert, animam vitiorum fuligine haud inficiat. *Plumam* Flaccus appellauit canitiem, ab imitatione, vt notatum ab alijs eſt, candoris cygnearum plumarum. Canitie tanquam pluma vtitur, qui illius cogitatione in cœleſtia euolat, terrenis rebus neglectis. *Cui* COMA CHRISTVS *eſt*, inquit Sanctus Paulinus, LEVIS, *&* VOLVCER *exultat.* Leuis etiam fit, & velut auis euolat, qui canitie ſuæ adſpectu candidos mores induit, vt pudeat candorem capillis præſeferre, non moribus.

CAPVT XVII.

Oculorum formatio, & ſitus homines vt informet.

Oculorum pulchritudo, & vſus. 104
Oculi velut ſydera fulgent.
In *oculis* perfecta *vnitatis* forma. 105
Beatorum mens vna, idemque ſenſus.
Ab *oculis* ſuis quiſque diſcat *proximum* ſuum iuuare.
In capite velut in *arce* oculi tamquam *cuſtodes* poſiti. 106
Præſides, qui Eccleſiæ oculi *virtutum* radijs ſplendeant.
Ab *oculorum* ſitu *cæleſtia* ſuſpicere homo diſcat. 107
In *pecudum* cenſu ſe locat, qui *terrena* tantùm ſpectat.
Sydera vt ſpectet ab *oculis* homo commonetur.
Mens corporis *oculos* ſequatur; cæleſtium rerum aſpectu. 108
In vertice cur *oculi* minimè poſiti.
Præſules vt aliorum conſulant *saluti*, conſulant & ſuæ.
Facilè *errat*, qui in rebus, perſoniſque *dijudicandis* affectu aliquo, vel malè *conſulentis* monitis ſe ſinit duci. 109
Coniuges oculos referant eiuſdem mentis ſenſu.

OCulos mentis ad corporis oculos ſi conuertamus, vtilium monitorum theſaurum in illis deprehendemus. De oculorum pulchritudine, & vſu benè, & eleganter Salianus: *Vide*, inquit, OCVLOS *hominis, rem omnium quæ ſub cælo ſunt longè pulcherrimam, & artificioſiſſimam, nam nihil eſt in hoc aſpectabili mundo pulchrius homine, nihil in homine dignius capite, nihil in capite vultu decentius, nihil in vultu oculis elegantius, & amabilius; hos oculos ita ſapientiſſimus artifex fabricatus eſt, vt ad lumen, & colorem dignoſcendum ſibi mutuas præſtarent* 104

ſtarent vices, vterque ſe eodem momento ſurſum, & deorſum, ad dexteram, & ſiniſtram, & omninò omnem in partem ad quidpiam videndum inflecteret. Idem nihilominus ad ornamentum faciei ita valent, perindè ac ſi ad eum vnum finem deſtinati eſſent; valent ijdem ad dirigendos greſſus ſi ambulaueris, ad vitandos ictus, ſi ingruant, ad cauendam quaſi ex altiore ſpecula offenſionem, ſi res tulerit; ad perdendos animi motus in triſtitia lachrymis ſuis, in lætitia hilaritate, & ita de cæteris motibus cordis noſtri; ad ipſum linguæ officium ſupplendum; cùm locutio fuerit impedita; ad rerum cognitionem lectione, & experientia hauriendum.

Cœlum ornent Sydera, in homine lumina tamquam Sydera ſunt poſita. Hinc illud Sancti Ambroſij: *Oculi quædam in carne* SYDERA *fulgent deſuper, & inferiora claro illuſtrant lumine, nec patiuntur noctis quibuſdam nos tenebris implicari: ſpeculatores quidam noſtri die, ac nocte*

excubant. Nam, & ex ſopore membris cæteris citius excitantur, & vigilantes circumſpectant omnia, viciniores enim ſunt cerebro, vnde omnis manet vſus viuendi. Sydera ſunt, nolim eſſe errantia, hoc eſt ne per eos quis erret, & culpæ ſe alicuius inuoluat tenebris. Nam vt Poſthumius ait: *Vitijs noſtris in animum per oculos* VIA *eſt*, atque adeo qui oculos non cuſtodit, viam vitijs aperit.

Sed antequam ſitum ipſum ocu- 105
lorum, fabricamque expendam, ad trutinam vocandus oculorum eſt numerus. Binos dedit Deus homini oculos, cur non vnum? An commendare ſtatim fraternitatis amorem voluit? vt à corpore ipſo diſceremus omnes amare, ſed præcipuè fratres? Scitè Plutarchus: *Atqui*, inquit, *fraterni vſus exemplum non procul natura poſuit, ſed in ipſo corpore, plurima neceſſariorum membrorum bina, & fraterna geminaque quum excogitarit: puta manus, pedes,*

oculos, aures, nares: docuit hæc omnia ſalutis, ac cooperationis communis, non DISSIDII, *ac* PVGNÆ *gratia, ita ſe conſtituiſſe*. Vt fratrum amorem, concordiamque membra, quæ in humano corpore geminantur cómendent, hoc tamen præcipuè præſtant oculi, non forma ſolùm ſimiles, ſed & motu, adeo vt quocumque vnus oculus vertitur, vertatur & alius, ſi ſurſum vnus aſpiciat, alter deorſum reſpicere nequit, ſed alius alium ſequitur, alter alteri ſe aptat, in perfectum concordiæ ſignum. Id ad Beatos in Cœlo tranſtulit Sanctus Anſelmus: *Sicut*, inquit, *tu vides in motu, quòd illuc quò* VNVS OCVLVS VERTITVR *mox* ALIVS SEQVITVR, *ita quocunq; tuum velle conuerteris, velle omnium ſine diſceptatione illicò tibi præſto habebis*; ſed transferri etiam poteſt ad iuſtos, qui hîc degunt. Oculos enim referunt, qui inter ſe concordiam ſeruant, vt idem velint, idem nolint, & alterius motui al-

ter ſe conformet, nec diſſidia inter ſe foueant, non diſcordias nutriant.

Vides quàm oculorum iſta geminatio, & mutua concordia ſit vtilis; quam ſuadendæ vnioni, amoliendæque diſcordiæ ſit apta! Parum eſt non diſcidere inter ſe oculos, etiam mutuo ſe iuuant, & certiorem viſum reddunt, faciliioremque, vt ob id geminos eſſe Deus voluerit. Huc ſpectabat Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Nonne ſatis vnus erat oculus? cur igitur duo dati ſunt? vt ſibi viciſſim eſſent* AVXILIO, *vt deficientem vnum alter conſolaretur: Præterea quia videndi vis ſi ab vno tantùm proflueret eſſet imbecillior: à duobus autem fontibus emanans*, FIRMIOR EST. *Simul enim vtrinq; progrediens, & concurrens, atq; in vnum confluens coniungitur. Etenim ab vtroque oculo tanquam à duplici Euripo longè prodiens eo it, & copulatur*. Ab oculis ergo ſuis quiſque diſcat proximum ſuum iuuare; al-

terius auxilio fruiturus, alteri ſuum exhibens.

106 Sed ſitum ipſum oculorum expendamus. In ſublimi capite oculi tanquam in arce ſunt conſtituti, vt aptius cuſtodis officio fungerentur. Scitè de illis Serenus:

Quos quaſi CVSTODES, *defenſoreſque pericli,*
Proſpiciens ſummâ natura locauit in ARCE.

Nimirum qui alia membra debebant regere ſuper alia locandi erant, vt diſcat qui alijs dignitate præſidet, & officio, etiam vitæ ſublimitate ſuper alios eſſe. De hoc oculorum ſitu ita philoſophatur Sanctus Iſidorus Peluſiota: *Quandoquidem* OCVLVS *vniuerſum corpus moderatur, faciemque exilarat, & exornat, atque omnium membrorum lucerna eſt, propterea velut in regia quadam ſede collocatus eſt, vt qui ſupernam ſedem nactus ſit, alijſque ſenſibus præſideat; quemadmodum enim Sol in terrarum orbe, ſic quoque oculus*

lus in corpore eſt, & quemadmodum ille ſi extinguatur, omnia perturbabit: ſic etiam extincto oculo, & pedes, ac manus, ac totum penè corpus inutile reddetur. Quorſum hæc dixi? nempe quia magiſter quoque corporis Eccleſiæ oculus eſt; QVARE SI HIC LVCIDVS FVERIT, HOC EST VIRTVTVM RADIIS SPLENDEAT, *totum corpus lucidum erit, vtpotè quod ipſo regatur, & gubernetur, eamque quam par eſt, curam conſequatur. Si autem tenebroſus ſit, hoc eſt ea, quæ tenebris digna ſunt, perpetret, vniuerſum propemodum corpus obſcuratur.* Scilicet qui alios vt oculus regit, lucere ſibi debet, & alijs.

In capite Deus oculos locauit, 107
non ita vt deorſum in terram deijceret, quod in brutis fecit, ſed vt ſtatim diſceret homo natum ſe cœlo eſſe, & ſpectanda illi cœleſtia, non terrena. Opportunè rem verſat Sanctus Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba, hæc mens: *Cur beſtijs omnibus* DEORSVM *in ter-*

ram deiectos fabricauit Deus OCVLOS, *tibi verò in capite tribuens, eos quaſi in* ARCE *collocauit? An non quoniam illis nihil cum cœlo commune eſt, tibi verò tùm à Deo, tùm à natura vt maximè cœleſtia ſuſpiceres, lege à principio ſancitum eſt?* Doctores oculi tibi ſunt, erunt & doctores ſi monitum illud excipias, quod illi ſe ipſis offerunt; alioquin in pecudum ſe cenſu locat, qui terrena tantùm ſpectat, conſectatur terrena, cœli, cœleſtiumque oblitus. Eximiè Sanctus Gregorius Nyſſenus: *Oculi,* inquit, *non tendunt in terram. Quocircà ne vim inferas naturæ tuæ.* TERRENA NE SPECTES, SED CÆLESTIA, *vbi Chriſtus eſt. Si conſurrexiſtis inquit cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt. Sic igitur formatus es, & forma tua te monet; ad quem natus ſis finem. Genitus es, vt Deum videas, & contempleris, non vt humi deiecta ſerpat vita tua; non vt pecudum voluptates conſecteris, ſed vt vitam cœleſtem agas.* Oculos ſurſum

habet homo, vt ſuperna concupiſceret, terrena contemneret; SYDERA, inquit Rupertus, *vel* CÆLESTIA *regna ſupernè poſitis meditari commonetur oculis*, cætera animantia terrenis nata oculos habent terram ſpectantes.

108 Cur non corporis oculos ſequantur mentis oculi? Monſtro ſimile erit, oculos corporis cœlum ſpectare, mentis lumina in terram ferri. *Peruerſa res, & fœda,* verba ſunt Sancti Bernardi, *Oculos habere ſurſum,* CÆLOS LIBERE SVSPICERE, *cœlorumque luminibus oblectare aſpectum, ſpiritalem verò, cælorumque creaturam ſuos contrariò oculos, ideſt internos ſenſus, atque affectus trahere in* TERRA DEORSVM. Nimirùm cœlum ſpectant oculi ex terra formati, & terram ſpectant mentis lumina, quæ nihil cum terræ in ſui creatione debent.

Sed cum oculi cœlum ſpectare præcipuè debeant, cur non in vertice ipſo capitis poſiti? Ne nimis

paterent iniuriæ, neue inepti hominum vſui redderentur. Nequeo hîc ſupprimere, quæ offert Sanctus Ambroſius: *Nobis*, inquit, *& in ſumma propemodum corporis parte conſtitui oculos oportuit, tanquam in arce, & ab omni, vel minima offenſione defendi: quæ duo ſibi compugnantia videbantur. Nam ſi* IN VERTICE, *paterent ad iniuriam. Itaque ne vel vſui muneris aliquid detraheretur, vel ad propulſandam iniuriam non proſpiceretur, eo loci oculos conſtituit, cui ſupercilia deſuper non minimum protectionis impertiant, ſubter malæ aliquantulum eleuatæ haud exiguum munitionis adiungant, interiorem partem ſepiant nares, exteriorem quoque frontis, malarumque gibbi exuberent: & licet oſſium compage connexa, & æquata confinia circumuallare videantur, inter hæc medij ſunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vtpotè in cryſtalli ſpeciem refulgentes. In quorum medio pupillæ ſunt, quæ videndi*

dendi munus operantur: ac ne qua incidentis iniuriæ offenſione lædantur, pilis hinc inde conſertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Oculi cùm ſuperiores referant, hîc diſcunt, non ſatis eſſe vt aliorum ſaluti conſulant, niſi conſulant, & ſuæ, & ineptè aliorum cuſtodem eſſe, qui non eſt ſui.

Illud quoque in oculis obſeruandum, ſi contingat digito ſuppoſito 109
à ſuo ſitu vel leuiter pelli, ſtatim ea, quæ vnum videbantur, quia ſ erant vnum, duo apparere; id facit malus conſiliarius, qui à recto iudicio ſuperiorem ſubmouet, vt ait Raymundus Iordanus: Errat facile in rebus, perſoniſque dijudicandis, qui ſe ſinit affectu aliquo, vel malè conſulentis opera à ſuo loco vel leuiter dimoueri.

Denique duo oculi duo licet loca occupent, viſionem tamen perficiunt, ac ſi vnum quid eſſent; quod ad eos transferas, qui perfectam vnitatem ſeruare inter ſe de-

 bent,

bent, & in vnam, vt ita loquar; mentem, ſenſumque coaleſcere. Fuit, qui coniugibus rem aptauit. Hinc illud illius: *Quemadmodum* OCVLI *cùm ſint duo, diuerſiſque locis diſpoſiti, in actu tamen videndi vnum ſunt, vterque enim in re viſa conueniunt, ſimulque vnam, & eandem videndi operationem conſtituunt, ſic* CONIVGES, *licet ingenio, natione, ac genere ſint diuerſi, vnum tamen in voluntate, & corde eſſe, ſuauemque pacem, ac perpetuam beneuolentiam conſeruare debent, ita vt vna, eademque voluntas bina corda gubernet. Quam ſine contradictione aſpicit vnus* OCVLVS *idem, quod alter intuetur: tales oportet eſſe bonos* CONIVGES, vt pax, vnitaſque inter illos ſeruetur. Quàm pacatiores, & hoc ipſo feliciores familiæ, ſi vnanimis iſte ſenſus omnes regeret, nec alius ab alio ſeorſim ſentiret, loqueretur! Idem ad ſacras etiam familias flectas, in quibus maiori ſanctitati, perfectionique pax maior, maior

vnitas ſubſterni, ne ſternantur debet.

CAPVT XVIII.

Oculorum cuſtodia ex oculorum ſtructura.

Oculus in pupillam anguſtatur quatenus moderatè *viſum* videat. 110

Peccatorum *feneſtræ*, imò & *magnes* oculi.

Oculi fornicationis filij, & peccati *proxenetæ*. 111

Cordis *ianitor oculus* noxia excludere debet.

Quinam *oculus* diaboli *ianitor* dicatur.

Oculus licet exiguus ingentia tamen mala poteſt parturire niſi cuſtodiatur. 112

Ad *oculorum* cuſtodiam, vt nos natura vocauerit.

Oculi vt *Virgines* cuſtodiendi. 113

Oculi palpebris non ſecus ac *Virgines* thalamo coërceantur.

Pupillæ Virgines eſſe debent. 114

Pleriſque *oculi retia* ſunt.

Pudicitiæ ſulcos vt rectos quis agat *oculos* cuſtodiat.

A *malitiæ* puluere cordis *oculus* ſeruandus. 115

Perſtricti, qui *puluerem* à corporis *oculis* amouent, & mentis *oculum* criminum luto obruunt.

110 A Situ ipſo oculorum, ad oculorum ſtructuram eundum nobis eſt; vtilium monitorum fæcunda mater hæc quoque eſt. In primis occurrit paruitas pupillæ, qua viſio fit. Quam mirares, vt tam magna videri poſſint re tàm minimâ! Et quònam ſpectat arctatio iſta? An vt ſtatim à viſus inſtrumento homo diſceret, viſum ipſum coërcere; & moderatè viſu vti? *Dei eſt*, inquit Sanctus Petrus Chryſologus, *quòd oculus in orbem*

ſic

ſic apertus ARCTATVR ANGVSTISSIMVS IN PVPILLAM, QVATENVS MODERATE VISVM VIDEAT, *non inuideat: præuideat, non proripiat: proſpiciat, non deſpiciat; oculus ſit animæ feneſtra, ſpeculum ſit mentis, ſit lumen corporis, membrorum dux ſit, non introitus vitiorum*. Anguſtauit Deus videndi organum ne latam nos viam ad vitia haberemus. Cùm tot ab oculo timere pericula homo debeat, ad tantam illum paruitatem redegit Deus, ne nimis nos videndi licentiam extenderemus, ſed in viſum eſſemus contracti, videndi organum adeo eſſe contractum cùm videremus.

Fuit, qui *peccatorum feneſtras* oculos dixit, per quas nimirum peccatum ad animam ingrederetur. Sanctus Bonifacius Martyr hæc in cautionem nobis offerebat: *Quid ſunt iſto periculoſo tempore, corporales oculi, niſi, vt ita dicam, maxima ex parte, veraciter* FENESTRÆ PECCATORVM? *per quas aut peccata, & ad peccantes*

cantes

cantes aſpicimus: aut, quod peius eſt, ad nos ipſos flagitia conſiderantes, & concupientes contrahimus. Vt non defuerit, qui oculum malè cuſtoditum nequitiæ magnetem dixerit: MAGNES, inquit ille, *ferrum trahit, & oculus liberior, nulloque modeſtiæ fræno cohibitus, malitiam*. Quàm magnas iſte magnes ruinas peperit! quàm multos, dum ad malum traxit, inferni adiecit pœnis!

111 Oculi, vt hoc etiam in cautionem adijciam, filij fornicationis dici apud Hebræos ſolent. Benè Sira: *Væ ei, qui vadit poſt oculos ſuos, quos nouit eſſe* FILIOS FORNICATIONVM, *vnde certè nihil boni à Deo redit*. Vocant & *peccati proxenetas*, ac veluti mediatores; quis plerumque animam ſuam vendit, qua nil pretioſius, rei viliſſimæ pretio, & iniuſtæ venditionis huius mediatores oculi minimè cuſtoditi exſtiterunt.

Oculus, vt muneri reſpondeat ſuo, animæ ianitor eſſe debet, vt nihil quod noceat, intrare ſinat, expel-

expellat quicquid eſt noxium. Pulchrè Vgo Victorinus rem verſat, dum ait: *Pudicus oculus*, IANITOR EST CORDIS, *ſedet ad ianuam, nec permittit intrare quod noceat, nihil nunciat, niſi quod deceat, quicquid indecens eſſe nouerit, excludit, & eliminat*. Alioquin ſi impura, & noxia intus admittat, diaboli partes agens diaboli ianitor oculus dicetur. Hoc eum titulo donauit Thomas Anglicus: *Oculus*, inquit, *eſt* IANITOR DIABOLI, *qui introducit beſtias inferni, quæ animas* VASTANT. Et nos tàm noſtræ ſalutis erimus hoſtes, vt oculum huic muneri deſtinemus, eumque diaboli ianitorem volentes, lubenteſque conſtituamus? Diaboli partes qui ita tuetur, ad diaboli partem ſe prodit pertinere.

Igitur ne per oculos tàm facilè peccatum contrahamus, contraxit oculos ipſos Deus. Et verò licet parui oculi adeo ſint, magis parua pupilla eſt, quia magna damna timen- 112

timenda ſunt, ſi malè cuſtodiatur. Exigua eſt pupilla, & montes intuetur, quin Solem ipſum, & Lunam, ſimiliter, & cor licet anguſtum ſit varia tamen vitiorum in ſe monſtra poteſt velut in cauea claudere, ac continere, ſi malè cuſtodiatur; poteſt Angelos, cœlum, & Deum ipſum, ſi benè. Implantanda hîc ſunt, quæ Sanctus Macarius ſenior habet, & ſunt iſta: *Sicut oculus, omnium corporis partium eſt minimus, & ipſa pupilla oculi cum ſit* EXIGVA, TAMEN EST VAS INGENS, *quoniam intuetur vna cœlum, Aſtra, Solem, Lunam, vrbes, & alias creaturas: & eodem modo quæ conſpiciuntur, in illa parua pupilla oculi, ſimul & eodem momento formantur, & effinguntur: hoc pacto ſe mens habet in corde: ipſumque cor eſt vas quoddam exiguum: ibi nihilominus Dracones, ibi Leones, ibi beſtiæ venenoſæ, ibi vitiorum cuncti theſauri, ibi aſperæ, & ſalebroſæ viæ, ibi præcipitia: itidem è contra, ibi Deus,*

ibi

ibi etiam Angeli, ibi vita, & regnum, ibi lumen & Apoſtoli, ibi cœleſtes orbes, ibi theſauri gratiæ, ibi ſunt omnia. Tàm paruum tàm magna continet, & quum vnum ſit tam multa. Vides quid oculorum paruitas, & exiguitas clamet etiam cum ſilet!

Sed pergamus, & quàm accurata in oculorum cuſtodia natura fuerit, expendamus, vt hinc quoque ſalubria eliciamus monita. Tunicas, integumenta, palpebras, cilia, & ſupercilia vide, in oculorum cuſtodiam omnia tendunt, iniurias arcent, quæ oculis imminent. Pulchrè Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui rem oculatiſſimè vidit, & expendit, dum ait: *Iam* OCVLORVM CVSTODIÆ *quam multæ ſunt? Tunica intus vna: ſed hæc non erat ſatis, neque enim molem vna conficeret. Aut ſi conficeret craſſitudine ſua cernendi vim obtegeret, atque impediret. Quamobrem neceſſe fuit, vt eſſet etiam perſpicua, & leuis. Vna igitur perſpi-*

cua

*cua, alteræ tenuis: illa quidem chry-
ſtallina, hæc autem cornea: & quæ
protegit, firmior, quæ intus eſt tenuior,
ne auditum intercluderet, tertia chry-
ſtallina, vt in ſe ſplendorem conſpi-
cuum contineret. Accedunt palpebræ,
quæ ſunt oculorum integumenta, &
propugnacula, & domicilia, atque
cuſtodes. Neque enim manus eos tueri
potuiſſent. Nam dum oculis ipſæ fer-
rent auxilium, interim læderentur.
Quocirca præſto ſunt palpebræ, quæ ſu-
pra excubant, ſimul atque detrimen-
tum præſenſerunt ſtatim oculos obte-
gunt, & defendunt. Quare, & pupillæ
ſub tali velo collocatæ non facilè lædi
poſſunt. Soli ex omnibus membris ocu-
li palpebrarum tegumentis operti con-
tingi nolunt. Denſa adeſt pilorum ſe-
ges. Cur? Vt ſuperioris, atque infe-
rioris palpebræ complexus acrior ſit.
Pili enim illi inter ſe connexi, atque
implici ſunt quædam veluti vincula.
Ad hæc minutas procul arcent beſtio-
las, lanuginoſaſque ſordes pupillis ap-
propinquare non ſinunt, ſeque illis im-*

*becillis, atque omni iniuriæ obnoxijs
propugnatores præbent; atque ita eorum
cuſtodia nobis cum decora, tum etiam
vtilis eſt.* Hactenus ille, quæ licet
multa fuerint, non tamen mihi fuit
integrum locum integrum non ex-
hibere, ne venuſtatis aliquid eli-
deretur.

Ad oculorum cuſtodiam nos na- 113
tura vocat, dum tàm cautè, ſoli-
citèque oculos cuſtodiuit, ſepſit pu-
pillas tot tunicis, tot ſepibus mu-
niuit, vt ſe domi tanquam virgi-
nes continerent. Feſtiuè Piſides:

Tunicisq; veſtit pupillas molliſſimis,
Ac ſi domi quis VIRGINES *cuſtodiat.*

In thalamis virgines manent, vir-
gineo vt earum pudori conſulatur;
idem in oculorum pupillis fiat.
Feſtiuè Sanctus Iſidorus Peluſiota:
Pupillæ, inquit, *in oculis veluti* VIR-
GINES *in thalamo ſunt collocatæ, ci-
lijs, ſeu palpebris tanquam velis tectæ:
æquum ita fuerit, prudenti ratione
eas regi, & tutari, vt aſſidue quidem
erubeſcant, pudeatque eorum quæ opor-
tet.*

tet. Alioquin ſi impudenter vagari ſinantur hæ virgines, ab hoc titulo excident.

Extra clauſtra ſi facilè vagetur Virgo, extra puritatis limites non difficilè feretur. Idem de oculorum pupillis cenſe. Benè Nicetas: *Oculi ſic coëceantur in palpebris, non ſecus atque in nuptiali thalamo,* VIRGINEO MORE *verſantes, nec procacibus, & impudicis motibus aculeum excitantes*. Ianuam pudori aperit, qui claudit oculos, claudit caſtimoniæ, qui oculos non claudit. Calculi ſui ſuffragium adijcit Sanctus Gregorius Nazianzenus, dum canit:

„ *Quin etiam velut in* THALAMO *tua lumina claude*
„ *Inuolucris deuincta ſuis, nec motibus illa*
„ *Laſciuis ſtimulent væſano pectus amore.*

114 Nomen ipſum, quo apud Græcos gaudent pupillæ, iſtuc idem firmant, κόρας dicuntur, ideſt Virgi-
nes

nes ſolicitè cuſtodiantur, nec permittantur facilè in aliorum perniciem, & in videntis ruinam, foras vagari. Sanctus Iſidorus Peluſiota rem ita conficit huic menti ſubſcribens: *Non corpus modò intactum, purumque, ſed & oculorum iactus (vnde & Κόρας ideſt puellas appellamus pupillas)* VIRGINES, *ſeu caſtos decet eſſe, neque permittere impudicè, atque impotenter vagari in aliarum forma, ac pulchritudine ſpeculanda, nec à conſpectu lubrico ad venereum perducantur*. Oculis abutuntur, qui eos non vt virgines cuſtodiunt, ſed tanquam proſtitutas mulieres foras ad aliorum perniciem, & ſuam vagari ſinunt.

Oculi retia pleriſque ſunt, quibus implicentur ipſi, & alios etiam implicent. Ioannes Euſebius de niue admiranda loquens, quæ montana ante regnum Tibet ſepelit hęc habet: Viatores obcæcantur aſſidua ſplendeſcentia alboris, & lucis, ſed rupices incolæ ſe tuentur ad-

aduerſus cæcitatem ocularibus quibuſdam non vitreis, ſed ex quodam retium genere contextis, alioqui laborant oculorum dolore, poſtmodum lucis orbitate. Atqui in Europa pleroſq; impudicos præſtaret orbos eſſe lumine, QVAM IPSOS OCVLOS HABERE RETIA, QVIBVS EORVM ANIMÆ MISERRIME IMPLICANTVR, & obcæcantur ex fæminarum aſpectu ſplendido, laſciuè illas intuentes. Qui oculis velut retibus vtitur, Satanici venatoris præda fiet.

Pudicitiam qui in ſe, qui in alijs amant, oculos cuſtodire ne ſine vllo diſciplinæ fræno ferantur. *Niſi*, peritus hoc magiſter offert Sanctus Ephræmus Syrus, *ab oculorum te diſtractione continueris temperantia, ac* PVDICITIÆ SVLCOS NON RECTOS AGES; arabit impietatem non pudicitiam, qui oculos ſine vlla cuſtodia liberos abire ſinet.

115 Denique dum à corporis oculo ex-

ternam omnem iniuriam ſtuduit natura tot repagulis amouere, docuit id potius in potioribus, hoc eſt mentis oculis præſtandum. Nam inſipientiæ pulchritudo eſt à puluere oculos eximere, & mentis oculos ſinere malitiæ puluere obcæcari. Qui ſapit monentem audiet Sanctum Gregorium doctrina, ac ſanctitate magnum: *Omni cura*, inquit, *ſeruandus eſt à* MALITIÆ PVLVERE OCVLVS CORDIS. Vt iure illorum inſania traducatur, qui oculos à puluere tuentur, non animam à peccatorum ſarcina. Cadunt hîc optimè, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus: *Tu nunquam*, inquit, *oculorum pupillam modicum aliquem ſinis* PVLVEREM INGREDI: *animam verò tot malorum ſarcinam attrahentem deſpicaris. Igitur quando ſordem hanc exhaurire poterimus, quam per ſingulos reponimus dies? Quando ſpinas excidere? Quando ſemina ſpargere?* Itane à pupillis, vel leuem puluerem amouemus,

uemus, ab ânima ſeuium peccatorum arenas adeo non ſubmouemus cum reijcimus, vt ſpontè, volenteſque eam noxio hoc culparum puluere fœdemus, & quod eſt omni malo nocentius, grauium criminum luto obruamus, & ſpiritali eius oculos luce priuemus? Igitur cuſtodia oculorum, qui corpori inſunt, ad animæ nos cuſtodiam vocet, quæ tota oculus eſt.

CAPVT XIX.

Viſus quid doceat.

Multi *oculo* ſimiles aliena *vident* non ſua. 117

Conſiliarij opera vt quiſq; indigeat.

Doctor, & *Concionator* ſe in Scripturæ Sacræ *ſpeculo* videat. 118

Diuina *Scriptura* hominem homini perfectè objicit, *ſpeculi* vicem ſubiens.

Creaturarum notitia diſcere ſe ipſum homo debet.

Perſtricti, qui aliena acutè *vident* ſuorum *mores* ignorant, & negligunt. 119

Inſtar *oculorum* viciniora Dei *beneficia* non agnoſcimus, agnoſcimus ijs priuati.

Ingrati oculis pariati, qui nimis proxima obiecta diſtinctè intueri nequeunt. 120

Homo alienè alia *miratur*, non ſe.

Oculis Deo ſeruire debemus, non diabolo. 121

Oculi amicitiæ corporalis *proxenetæ*.

Radix adulterij curioſa *inſpectio*.

Propinquorum amor cum Chriſti, & cœleſtium *amore* non cohæret. 122

Cœlum, terramque *amare* impoſſibile *oculorum* docetur exemplo.

Nulli *nocendum*, nullius *nomen* violandum *oculi* docent.

Affectu *complacentiæ*, quæ in alijs

laude digna videmus noſtra facere ſine aliorum damno poſſumus.

117 OFficio meo deeſſem ſi de oculo agens, de oculi officio non agerem. Viſum igitur de viſu aliqua libare, & vtilia hinc quoque monita elicere. In eo quod oculus alia videt, & non ſe, eos refert, qui acutè alios, & res alienas ſcrutantur, cæci in ſua ſunt, & noxia ſui ignorantia laborant. Benè Raulinus: *Multi multa ſciunt, & ſe ipſos neſciunt,* OCVLO SIMILES, *qui cum multa videat, ſe ipſum non videt.* Pluribus occini illud poëtæ non adeo antiquę notæ poteſt.

Cuncta videns OCVLVS, *nunquam ſe reſpicit ipſum,*
Sic ignota ſibi mens ALIENA VIDET.

A noxia hac noſtri ignorantia nos auocans Beatus Thomas aiebat: *Recollige te, redi ad te, habita tecum; non ſis* SICVT OCVLVS, *qui cum*

cum omnia videat ſe ipſum non videt.

Vt videant ſe oculi ſpeculum adhibetur; vt cognoſcat ſe homo. & ne cum de rebus ſuis agitur, erret, fidum amicum, & conſiliarium habeat, qui ſpeculi munus exerceat, & hominem homini obijciat. Huc ſpectat monitum illud Sancti Gregorij Nazianzeni: OCVLVS, inquit, *cætera quum videat, ſe ipſum non videt. Proinde rebus in omnibus* CONSILIARIVM *adhibeto,* qui ad tui notitiam ducat te, te obijciat tibi.

Idoneum ſpeculum, in quo ſe, 118
qui alios docet, ſpectet, diuinæ litteræ ſunt, hæ quippè ſui cultorem ſibi obijciunt, ne ſui ignorantia, dum cæteros erudit, laboret; rem ſic peritus auctor explicat, & illuſtrat: PVPILLA *cùm omnia iudicet, & diſcernat, ſe ipſam non videt, & ſi contingat per accidens ſe videre, hoc eſt, per radiorum reflexionem, ſcilicet quando ſpecies ſua vadit ad ſpeculum, & à ſpeculo reflexio fit ad*

ad viſum. Et hoc fortè eſt cauſa, quare viſus in ſpeculo delectatur, quia per reflexionem radiorum in ſe ipſum reuerſus coadunatur, & per conſequens fortificatur, & confortatur. Sic ſi prædicator neſcit ſe ipſum cognoſcere, vel videre, accedat ad SPECVLVM SCRIPTVRÆ, *& reflectat applicando ad ſe ipſum, quæ legit, vt ex reflexione radiorum, ideſt, diuinorum verborum, ſiue exemplorum, quæ ibi reperiuntur, poſſit ſuos defectus, & etiam profectus intueri.* Plenè muneri, quod exercet, non reſpondet concionator, ſi totus in alijs informandis informis ipſe ſit, nec ſibi aptet, quæ in aliorum vtilitatem alijs dicit, indicit alijs.

Perfectiſſimè diuinæ litteræ hominem homini obijciunt, ſi ſeriò illas conſideret, & verſet, vt quod in eis doctor legit flectat ad ſe, aptet ſibi. Audiendus hîc Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui ab oculis corporis ad oculos mentis tranſitum faciens aiebat: *Quemadmodum*

OCVLI *noſtri cum ea quæ ſunt extra ſe videant, ſe ipſos non cernunt, niſi leue quiſpiam, ac ſolidum inſpexerint, vnde refractus obtutus, ac refluens efficiat vt ſe ipſi intueantur: ſic animus noſter alia cernens ſe ipſum non videt, niſi ſcripturis inhæſerit, atque incubuerit, quod enim in illis eſt lumen, reflectitur, facitque vt nos ipſi perſpiciamus, ac cognoſcamus.* O ſpectaret ſe in diuinis litteris homo, nec ſolum melius noſſet ſe, ſed quod eſt melius, melior euaderet!

Creaturæ quoque aliæ, quæ extra hominem, ſpeculum referunt, quo homo habere aliquam ſui notitiam poteſt; *Tanquam purum* SPECVLVM, verba ſunt Beati Laurentij Iuſtiniani, *creaturarum decor offertur homini, quatenus ex earum notitia diſcat ſe*; ita tamen, vt *à ſe tranſeat ſupra ſe*, quod idem auctor ſubijcit: Quàm ab hac mente abeunt illi, qui ex creaturarum notitia adeò non ſe erigunt, nec à ſe ſuper ſe tranſeunt, vt potius ſe

miſerrimè illarum amore capti infra illas ſe ponant.

119 Oculus non ſolùm videre ſe non poteſt, ſed nec ea, quæ nimis illi adhærent, interſtitium aliquod neceſſarium eſt, vt cernere obiecta queat. Quod in oculo natura ſine vlla culpa facit, faciunt non ſine culpa qui oculos referunt, alios regunt. Nollem pluribus conuenire, quæ Raymundus Iordanus habet: OCVLVS *non videt ſibi adhærentia, ſed ab eo diſtantia: Sic & Prælati vitam aliorum* DISCVTIVNT, *ſed mores ſuorum Collateralium, & familiæ propriæ non conſiderant, nec attendunt*. Quin plerumque accidit, vt Principes, Præſules, ac vniuerſè Superiores poſtremi ſciant, quod in omnium notitiam iam iuit.

Obiectum nimis oculis proximum videri ab oculis non poteſt; diſtare nonnihil ab oculis debet, vt videatur. Ingrati animi imaginem hîc habemus: Ingratitudinis qui corripitur lue, Dei beneficijs

dum fruitur, beneficia non agnoſcit, pro ijs gratias Deo non agit, adeo vt niſi illis priuetur, non ſciat ſe habuiſſe. Optima quis ſanitate gaudet, gratias Deo ob iſtuc beneficium non agit, quia nec cogitat hoc Dei beneficium eſſe; tunc cognoſcere incipit, tunc cogitare, cum longè ab illo eſt. Nimis proxima Dei dona mentis noſtræ aciem fugiunt, ſicut quæ nimis oculis vicina ab oculis non cernuntur. Præſtat hîc ſiſtere quæ in hanc rem habet Sanctus Ephræmus Syrus: *Sicut* OCVLI, *quæ nimis appoſita ſunt, & propinqua, non cernunt: ita & animæ ingratæ, demum poſt bonorum ademptionem gratis, ac donis præteritis afficiuntur. Interea dum bonis frui licet, tanquam ijs minimè contenti, nulla eorundem largitori gratiam habemus: at illis* IAM PRIVATI, *beneficium tandem* AGNOSCIMVS, *beatumque prædicamus*. Meretur longè eſſe à Dei beneficijs, qui ea non conſiderat, niſi quando longè ab

illis diſtat illorum eſt immemor; cum illis onuſtus eſt.

120 Hinc eſt vt non ſemel Deus beneficia ſua à nobis elonget, quò abſentia conſideraremus, quæ ignorabamus, negligebamuſque dum adeſſent. Sanctus Baſilius rem his verbis explicat ingratitudinem noſtram pungens: Ait, *Ingratos multis beneficijs diuinis abundantes, nec ea, vt par eſt recognoſcentes, eſſe tanquàm* OCVLOS, *qui dum obiecta ſenſibilia proximè admota habent, & non intuentur. Quemadmodum igitur neceſſe eſt, obiecta ab oculis pauliſper ſeparari, vt videantur; ita & ab ingratis diuina beneficia auferri, vt æſtimentur. Præſentibus, inquit, bonis perfruentes, cum nullam rependamus largitori gratiarum actionem, vt ſenſum aliquem percipiamus ex iactura rei, neceſſe eſt, vt ea ſpoliemur. Vt enim oculi, quod iuſto proprius admotum eſt, non vident; ſed opus habent moderata quadam* DISTANTIA; ITIDEM ANIMOS MINVS GRATOS *videmus*

mus ſenſu attingi prærepta gratiæ dum priuatos ſe intelligunt prærogatiua bonorum. Sic ſi rectè rem penſemus, quod multis Dei beneficijs priuemur ingratitudo noſtra facit, quæ æſtimare neſcit quod iam poſſidet, ac ſi noſtra non ſint, quæ quò viciniora nobis, magis ſunt noſtra.

Vt oculorum naturam in Dei beneficijs homo referat, qui non videat ea, quæ nimis ſunt proxima, id tamen præcipuè præſtat in ſui conſideratione, membrorumque, quibus donatus à Deo eſt. Quis enim eſt, qui cogitet, ſeriò ſecum penſet, tot eſſe Dei beneficia, quot ſunt in corpore membra, imò & membrorum partes? Non videmus iſta, quia nimis vicina; da aliquid à nobis Deum auferre; oculum, aurem, manum, pedem, tunc priuatione ipſa fit, vt tanquam beneficia cognoſcantur, quæ prius non ſpectabantur vt talia. Mirum alia mirari hominem, non ſe, non ſua; *Videt homo inſolita*, inquit Sanctus

Auguſtinus, *& miratur: vnde eſt ipſe homo qui* MIRATVR*? vbi erat? vnde proceſſit? vnde forma corporis? vnde membrorum diſtinctio? vnde habitus iſte ſpecioſus? de quibus primordijs? de quàm contemptibilibus, & miratur alia, cùm ſit ipſe mirator magnum miraculum.*

Non ſe contemptibilem reddat, ſi quàm contemptibilibus ſit homo conſideret, deducetq; ſe ſupra ſe, ſi ſe diducat, membraque ſingula ſingularia Dei dona eſſe cogitet, nec Dei donis vtetur in Dei iniuriam.

121 Rem ad oculos ipſos, qui huc nos duxerunt poſſumus coërcere. Oculos accepimus, vt Dei creaturam aſpicientes ſtatim in Deum ipſum ferremur, non vt cum Dei iniuria rebus quæ ſunt extra Deum adhæreremus. *Fecit tibi* OCVLVM *Deus?* inquit Sanctus Chryſoſtomus, *hunc ipſi præſta, præbe vtendum, non autem diabolo; quomodo autem Deo præbebis? opera ipſius conſiderans;*

& ipſum glorificans, abducens verò à mulieris aſpectu. Præbendi ei oculi, qui oculos nobis præbuit, non illi, qui illos inficit ſi poteſt, & non facit. Solis, Cælorumque potius pulchritudini ſpectandæ, quàm mulieris datos nobis oculos, ita colligebat aureo hoc dicto auctor ab aureo ore: OCVLOS *nobis dedit Deus, non vt* IMPVDICE ASPICIAMVS, *ſed vt res ab eo creatas admirantes, adoremus Creatorem. Quòd autem hîc ſit vſus oculorum, eſt perſpicuum ex ijs quæ videntur. Nam Solis quidem, & Cœli pulchritudinem ex infinito aſpicimus interuallo: mulieris autem pulchram formam, à tanto non didicerit quiſpiam. Vides quòd nobis ad hoc magis factus eſt oculus.* Non adorat Creatorem, qui ex viſis creaturis idolum ſibi facit, quod colat, dum cautè non cernit, nec purè.

Quàm abſunt, qui oculorum vſu adeo ad Creatorem non alliciuntur, vt auocentur potius? Dum enim in creaturarum pulchritudine

oculos figunt, & in illa ſiſtunt, ſtatim Dei obliti, adhærent creaturæ, & cum Dei iniuria amant quæ eſſent contemnenda, contemnunt quæ eſſent amanda. Oculi *amicitiæ corporalis* PROXENETÆ dicuntur Sancto Baſilio; inter homines amicitiam conciliant, ſed ita hoc fiat, vt illorum vſu homines inimici Dei non fiant, quod accidit, ſi adulterij, & aliorum peccatorum non ſint veluti fontes, & radices, hinc illud Antonij in Meliſſa: RADIX ADVLTERII *eſt curioſa inſpectio in faciem*. Quàm altas in cordis ſolo impuritas radices non ſemel egit, ortum à curioſiore tantùm aſpectu habens! Sed alia videnda oculi offerunt, dum vident.

122 Non poſſe terrena ſimul, & cœleſtia à nobis amari, non poſſe nos & parentibus hærere, & inhiare cœleſtibus, oculorum nos natura docet, qui ita pari feruntur motu, vt vno cœlum ſpectare, altero terram ſimul non liceat. Oculos habes

bes magiſtros, ſi non ijs ſpectes tantùm, ſed illos cogites, & mentis oculo videas. Præclarè Sanctus Ioannes Climacus nobis accinit, dum ait: *Grauis eſt, & omninò vitabilis ad propinquorum, vel etiam extraneorum aliquem immoderata affectio, cùm ea nos ad ſeculum ſenſim poſſit attrahere, ignemque compunctionis noſtræ penitus extinguere: quemadmodum fieri non poteſt, vt altero* OCVLORVM CÆLVM, ALTERO TERRAM RESPICIAMVS; *ita nulla ratione fieri poteſt vt is, qui non perfectè, penituſque omnibus caris, ſeu domeſticis, ſeu quibuſcunque alijs corpore, & animo renuntiat non vltimum animi diſcrimen adeat*. Audiant, qui conſanguineorum amorem, affectumque Christi amori inſerere ſe poſſe credunt, tanquam alter alterum non perimeret.

Oculi qui ſimul terram, cœlumque nequeunt ſpectare, docent mundi, Deique amorem non cohærere. Docti auctoris hæc ſunt

verba: *Quemadmodum iiſdem* OCVLI *cœlum, & terram pariter nequaquam aſpiciunt: ita mundi amor, & Dei pariter in vno corde habitare non poſſunt*. Paulò aliter rem verſat Beatus Iſaias Abbas: *Quemadmodum*, inquit, *nemo poteſt* OCVLVM *vnum in cœlum tollere, & alterum humi defigere, ita mens nequit quæ Dei, & quæ mundi ſunt ſimul curare*, nequit ſe totam vtriſque impendere, cœleſtia neceſſe eſt, vt negligat, qui terrena quærit, inhiat terrenis; facilè ea quæ ſurſum ſpectabit, qui non curat, nec curat habere quæ deorſum:

Denique oculi hoc hominem docent, vt ſuis commodis ſeruiat ſine aliorum incommodo. OCVLI dum obiecta quæque vident, ita ab omnibus imaginem omnium veluti eripiunt, ac totum in ſe transferunt, quod ſpectant, vt nulli rei noceant, intactam relinquant, nec rei viſæ venuſtatem aut minuant, aut inficiant, licet illâ totâ fruantur.

tur. Quod viſus hominis præſtat præſtet homo, ita in aliena feratur, vt nullius violet famam, nullius deuenuſtet nomen, ILLIBATA CVNCTA SERVET. Quid hîc illi, qui neſciunt de alijs loqui niſi cum alienæ famæ iactura, nec aliena vident, aut tractant aliena, niſi cum alterius damno? Tantum qui in alijs laude digna videt ſua quodam complacentiæ affectu faciat, vt etiam ab hac parte oculos referat, qui ſine alterius iniuria, aut læſione, ſua faciunt quæcunque vident, & cunctorum imaginem à cunctis veluti ſurripiunt, & nulli nocent.

Non poterit non eſſe valdè diues, qui aliorum diuitias ſuas facit, nec vlli damnum infert.

C A-

CAPVT XX.

Alia ex oculis monita eruuntur.

In *oculi ſtructura* Dei ſapientia admiranda. 123

Oculi lachrymis, & pœnitentiæ ſacrati, quia ad pœnitenda ducunt.

Ex *oculis aqua* ſtillat, quâ totius corporis abluatur fœditas.

Nocendi *periculum*, vt in *oculis* Deus coërcuerit. 124

Oculus animum exoculatum ſæpè reddit.

Iniquè *iudicant* pecunia, & gratia corrupti.

Voluntas niſi priuatum *amorem* exuat recta in Deum ferri nequit.

Inuidus alienæ virtutis Solem intuens viſum vt amittat. 125

Ne mentis *viſum* amittamus per

vias incedamus, quas morum *nix*, & candor operit.

Ex *oculis* doctor, & *Præſul* diſcat, crucem, & Crucifixum diligere.

Oculorum tuniculæ docent *corpus* obæſum minimè reddendum. 126

Terrenarum *voluptatum* aquis, nec ex parte mergatur, qui rectus videri vult.

OBuia quæque oculus videt, 123
& multa exhibet, non adeo obuia, & prorſus digna quæ videantur, & mentis acie ſeriò, ac cunctanter ſpectentur: non potuimus omnia præteritis inſerere capitibus, quædam alia huic inſeremus, vt tamen alia multa执 ſupereſſe moneamus, quæ ſuo labore ab his fors, quæ dedimus, vt nonnihil adiutus ſtudioſus eruat lector; & in ſui vtilitatem verſet.

In oculorum ſtructura maximè Dei ſapientiam admirandam ita docebat Sanctus Aſterius: *In oculo*

exigui membri, & partis circumſpe-ctione OMNIPOTENTEM, VARIAMQVE DEI SAPIENTIAM *licet videre, in qua tantùm artis oſtenditur, primum quidem venuſtas illi indita, & molliſſimus eſt, & ſine carne, & vt ita dicam in delicato membro ſoliditas eſt.* Abutitur oculis, qui in illis adeo Deum, Deique omnipotentiam non admiratur, vt oculorum miniſterio Deum lædat; iniuria opificem ipſum afficit, dum per oculos delinquit, qui oculorum lachrymis delicta debebat abſtergere.

Lachrymis, quibus peccata eluuntur, deſtinati oculi ſunt, vt pœnitentiæ ſint fontes, qui ad pœnitenda ſolent eſſe duces. Pulchrè ille: Obſerua oculos inter omnia corporis membra pœnitentiæ de peccatis ſignatè conſecratos, vt qui in peccato duces, & ad peccandum illices fuerunt, POENITENTIÆ ETIAM ET DVCES, & interpretes ſint, quibus animus dolorem

lorem ſuum, & pœnam manifeſtet: vt qui per illos tanquam per feneſtras ad res externas ſe ſe effudit, illos etiam in Deum dolore, & amore liquefactus in ſe effundat. Fletus inſtrumenta iure ſunt oculi, vt eſſent pœnitentiæ principium, qui ſolent eſſe, & culpæ, & abſtergant ſtatim maculas, quas contraxerunt. Pulchrè Piſides:

Sed enim per oculos cum NOTAS
TVRRES *trahat*
Rurſus per ipſos LACHRYMAS
fundit pias,
Egreſſione, vt ELVAT, *quæ ingreſſa ſunt.*

Toti corpori balneum exhibent, quorum vſu plerumque totum corpus maculatur. *De oculis* STILLAT AQVA, inquit Sanctus Laurentius Nouarienſis, *quæ totius corporis contractus diſſoluit, & abluit fæditatem*; remedium offerunt, qui morbi occaſio, aut etiam cauſa exſtitere. Pergit auctor oculum ſuum alloquens: *Tu vidiſti, ego concupiui:*

cupiui: tu inſpexiſti, & ego peccaui: vidiſti aurum, vidiſti poſſeſſiones aliorum & prædia, cæcauit ambitio. Cæpi velle quod meum non erat, cæpi auferre, aut argumento inuadere aliena. Tali me ſcandalo obcæcaſti. Quid dicam de fœminea ſpecie, quantum intuendo eam, collapſa eſt anima, effœminata ſunt viſcera, & quaſi concupiſcentiæ ſagitta percuſſus de quodam præcipitio corrui? da modo liquorem tuum, & dele peccatum meum. IRRIGA ME IMBRIBVS *tuis; irruant aquæ tuæ, & obruant crimina mea.* Paria oculo ſuo loquatur, qui damna quæ illæ attulit, ſenſit, lachrymas ab oculis poſtulet, qui flenda oculis commiſit. Sed alia dicamus de oculis, alia ex oculis in animæ ſalutem educamus.

124 Quod in corporis formatione omnium vltimi oculi perficiantur, & primi deficiant, compendio aliquo non caret, aliquid docent; circa iſtuc ſic nobilis, licet nuperus auctor philoſophatur: *In formatio-*

ne

ne humani fœtus oculi omnium vltimi perficiuntur, primi moriuntur. Non malè hoc inſtituit natura, vt quò maius eſt NOCENDI PERICVLVM, *eò breuius eſſet ſpatium*; præcidit natura oculorum vitam, ne peccandi occaſio extenderetur. *Videns oculus*, inquit Ioannes Euſebius, *animum* EXOCVLATVM *reddit*. Benè plerique viderent ſi non vidiſſent. Vidit oculus, capta eſt mens.

Statuit præterea Deus, ne oculi ſtato colore imbuerentur, vt omnes poſſent diſcernere. Quam rem ad iudices non nemo transfert, qui vt ritè, rectèque iudicent ab omni debent eſſe affectu liberi. *Vt oculi*, inquit, *alieno colore ſuffuſi, deprauatè vident, ſic* INIQVE IVDICANT PECVNIA, AC GRATIA CORRVPTI, ac aliquo affectu præoccupati.

Rem magis extendere poſſumus, & cuiuslibet voluntati aptare, quæ niſi priuatum amorem exuat, noxiaſque affectiones, rectè in Deum

ne-

nequit ferri. Pulchrè rem verſat Ioannes Euſebius, cuius verba hîc duxi implantanda: *Sicut oculorum ſenſus, ſi* COLORVM *vno aliquo eſſet infectus, ad reliquos caligaret; nam ſi viridi imbueretur, vireſcere putaret omnia; rubeſcere, ſi coccineo; atque in eundem planè modum de alijs, quorum ſi quempiam natura ſibi inſitum nactus eſſet, non poſſet cæteris oblectari.* Non aliter ſanè niſi VOLVNTAS NOSTRA PRIVATOS AMORES, AC PROPENSIONES DEPONAT, ATQVE EXVAT, *beneuolentiæ ſuæ vim in res vniuerſas propter Deum, ex quo omnia, per quem omnia, & in eo omnia ſunt, deriuare non poteſt. Sed ſi ad patriam, gentemque ſuam animus adhæreſcat, eorum modo colet amicitias, quibus cum patria, & gentis communione copulatur. Idem eueniet, ſi neceſſariorum ſuorum conſanguinitate delinitus carni tantùm, & ſanguini deſeruiat, par de reliquis iudicium. Quòd ſi infæliciter agi putaremus cum oculis, quorum* VIDENDI

DENDI VIS SVPER COLOREM VNVM VIDEAT NIHIL, QVID DE VOLVNTATE, SI IN AMANDO *ſimiliter affecta ſit, ſentiendum!* Amet vnum voluntas, ſed illud vnum Deus ſit, in quo omnia ſunt; terrenorum amore ſi voluntas teneatur, ægrè ferri in Deum poteſt. Sed aliud oculi non ab ea parte, qua videntur, ſed qua vident, docent.

Oculi dum muneri intendunt 125
ſuo, ſi accidat, inſueta, ac vehementiori luce perfundi non leuiter offenduntur, hinc in Solem, qui diù oculorum aciem intenderet, cernere diſtinctè alia non poſſet, & alijs rebus ſpectandis ineptus ferè redderetur. Inuidorum hîc formam habemus, qui aliena ſpectantes luce digniſſima, cæcutiunt, vt nec alia ſine errore videant, in aliena luce caligent. Pulchrè ille; *Inuidus dum alienæ virtutis* SOLEM *intuetur, viſum amittit, vt rebus ritè dijudicandis minimè ſit idoneus;* ſic

ſit vt inuidiæ morbo laboranti vitia virtutes appareant, & virtutes vitiorum colore videantur infectæ. Tanti refert quis ille ſit, qui mentis oculis in alios fertur.

Obſeruatum ferè nimiam albedinem tanquam nimis viſum diſgregantem, ſic philoſophi loquuntur, viſui officere. Legimus Xenophontis milites dum per niuem deambularent, niuis albedine in oculis læſos. Ad animam ſi rem transferamus, diſpari ratione inueniemus rem currere, nam plerique dum à morum candore abſunt, & per vias incedunt iniuſtitiæ nigredine affectas, lumen illud mentis amittunt, quo antea gaudebant; idemque etiam in ijs militat, qui milites non ſunt. Secus, qui per vias incedunt, quas MORVM NIX, ET CANDOR OPERIT, adeò mentis viſum non amittit, vt perficiat potius.

Sed ad oculorum anatomiam redeamus. Specta illorum ſtructuram,

ram, mentior ſi non Crucis figuram referentes ad Crucis nos cogitationem tacitè vocant. Crucis amicus doctor, & præſul eſſe debet, vt rectè oculos referat, quibus ſemper proxima Crux, quam optici formant nerui. Feſtiuè nobilis ille auctor: *Nerui, qui ad oculos ſpiritum viſibilem deferunt, ſunt in modum* CRVCIS *diſpoſiti: Nam à prora cerebri exeunt duo nerui, qui in ſubſtantiam chryſtallini humoris oculis ſe infigunt, & hi nerui tranſuerſaliter in modum crucis infiguntur in oculis, & in puncto contactus inuicem ſe contingunt, & hoc ingenioſè factum eſt, vt altero oculorum clauſo, vel penitus excæcato, ſpiritus viſibilis ad alterum totum tranſiret, & ſuam ibi perficeret actionem, vnde tunc pupilla, & actus videndi confortatur, propter virtutis viſiuæ coadunationem, vt patet in ſagittarijs, qui vno oculo directiùs ſagittam emittunt. Item ideo ſe contingunt puncto, ne quodlibet vnum duo eſſe videantur. Semper enim vna res*

duo eſſe apparet, ſi vterque oculus ſuum idolum diuiſim videret. Neceſſe ergo fuit vt virtus viſiua continuaretur ad organum, in quo eſſet virtus vna fontalis deriuatiua in pupillis, ſicut auctor perſpectiuæ dicitur. Sunt ergo nerui oculi IN FIGVRA CRVCIS *diſpoſiti, vt prædicator cum Chriſto confixus ſit Cruci, & non ſe ipſum, ſed Crucifixum Chriſtum ſtudeat prædicare ſecundùm illud; Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* O iſtuc qui alios docent cogitarent, inquinatæ vitæ moribus nullus in crucifixum ſæuiret, nec ſe vllus Crucis Chriſti inimicum oſtenderet. Oculis ſemper proxima Crux, nec hi qui oculos referunt, Crucem debent abhorrere, ac mortificationem, vt ſuſtinere dignè officium poſſint, quod exercent. Rectè ille tanquam oculus aliorum dux ſit, qui Cruce dirigitur, Crucem amat.

126 Denique oculorum tuniculæ nos admonent, ne corpus ita impinguemus, vt mens reddatur obtuſior.

Aptè rem explicat auctor ab aureo ore, cuius verba hîc nefas duxi ſupprimere: *Sicut*, inquit, *in oculorum pupilla ſiquidem exteriùs impoſitas* TVNICVLAS CRASSIORES *effeceris, cernendi vim emittere ex ſe nequit, & clariùs intueri, cùm radius ille oculorum ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena ſint omnia: ita &* CORPVS CVM FVERIT OBÆSVM, *animam quoque obtuſiorem euadere neceſſe eſt*. Papè quanta laboramus inſania, qui omni cura, & ſtudio craſſitiem omnem ab oculorum tunicis, ne viſio lædatur, amouemus, & craſſiorem mentem reddere terrenarum voluptatum affectu adeo non fugimus, vt quæramus!

Fugiendæ carnis deliciæ ſunt, vt illam referamus rectitudinem, qua Deo placere poſſimus, nec ſpectantes malo exemplo lædamus. Multum nobis boni nominis deperit, ſi aliqua ex parte terrenarum voluptatum amore capiamur, licet ab alia ab illo immunes eſſe vi-

deamur. Lignum, rem explico, & ab oculis non abeo, alioquin rectum aquæ ſi medium immittatur, fractum videtur, ſic qui deliciarum terrenarum aquis medius tingitur, licet non totus, cenſetur, inquit Idiota, à rectitudine abire, rectuſque qui delicijs mergitur, nec non videtur, nec ex vero non eſt.

CAPVT XXI.

Quæ circa oculum, quænam monita exhibeant.

Oculorum *pili* clamant nihil adeò *minimum* eſſe vt ſit contemnendum. 127

Palpebrarum pili inſigne *obedientiæ*, & temperantiæ exemplum. 128

Præſul longi temporis ſpatio ne fiat ſubditis *terribilis*.

Palpebrarum pili tanquam hominis magiſtri hominem docent, vt *cæleſtia contempletur*. 129

Animæ *membrum* cur *oculus* dictus.

Oculos vt *ſuperiores* referant quid ſuperioribus præſtandum.

Variæ *oculorum* ægritudines, varij *morbi* recenſentur. 130

Quid multiplices *oculorum morbi* hominem doceant.

In hominis *ſenectute oculos* aliquo morbo ferè infeſtari quid clamet.

Cvm de ipſo oculo hucuſque aliqua dixerimus, nunc aliqua & de ijs dicenda, quæ circa ipſum ſunt. Nihil hîc infæcundum, nihil non vtilium monitorum ferax. 127

Exordium à pilis ſumo, qui oculos non ſolùm muniunt, ſed & exornant; quid exilius pilis iſtis, quid tenuius, & vilius? & tamen quàm oculorum decorem augent, quàm minuerent ſi abeſſent, & quàm viſum ipſum iuuant! Quæ res clamat nihil adeo minimum eſſe in Dei obſequio, quod ſperni,

 ne-

negligique debeat. Audiendus hîc Sanctus Chryſoſtomus, cuius aurea hæc ſunt verba: *Et in corpore ea quæ ſunt* PARVA, *non parum videntur conferre. Quid enim eſt in corpore vilius pilis? Sed ſi hos viles abſtuleris à ſupercilijs, & cilijs, omnem viſus deleueris ſpeciem, & dignitatem, & oculus non amplius apparebit tàm pulcher. Atqui leue eſt damnum; ſed tamen ſic quoque perit omnis formæ decor. Neque verò ſolùm perit formæ decor, ſed etiam multum decedit de vſu oculorum. Nam vnumquodque noſtrorum membrorum, & propriam habet operationem, & communem: & pulchritudo ſimiliter eſt in nobis & propria, & communis.* A pilorum vilitate, qui oculos exornant, ac etiam muniunt diſce nihil negligere, minimum licet ſit, & prorſus vile.

128 Sed mirum, quod in palpebrarum pilis accidit, vt ſcilicet non creſcant licet incrementi materia non deſit, *imperium*, vt Galenus ait, PRÆSCRIBENTIS OPIFICIS *metuentes*,

tuentes, Deumque ipſum præcipientem reueriti. Prębeat natura incrementi materiam pilis, pili tamen iſti non augentur, vt Deo pareant. In quare exactæ obedientiæ exemplum habes. Adſit violandæ preſcriptæ à Deo legis occaſio, qui Deum amat, imperium reuerebitur Dei. Habes etiam hîc abſtinentiæ quoddam ſpeculum, & exemplum; Nam vt Deo oculorum pili pareant, ex vicina materia non arripiunt in cibum, vt augeri poſſint, ſicut in capillis, & alijs corporis pilis fit. A cilijs tuis diſce, diſce à ſupercilijs abſtinentiam. Vocem quandam ſupercilio tributam obſeruo; hinc illud illius ab externa Schola:

Multa ſupercilio; multa LOQVARE *notis*.

Hoc maximè in eo reſonat, parendum Deo eſſe etiam in minimis, & abſtinentiæ litandum, cum ille iubet.

Eſt & aliud, & quod cilia, & ſupercilia loquuntur, dum non creſcunt,

ſcunt, ponendam ſcilicet arrogantiam eſſe, ponendum faſtum, & tunc præcipuè quum in culmine multos quis annos numerat. Raymundus Iordanus ita philoſophatur: *Sunt*, inquit, *cilia velut tela, & hoſtilia oculi: quæ in ſpirituali oculo, ſiue Prælato, non debent creſcere proceſſu temporis, quia Prælatus ob longi temporis regimen, non debet fieri ſubditis magis* METVENDVS, *atq;* TERRIBILIS. Scilicet à ſuperciliјs diſce nihil præferre ſuperciliosum, & quod arrogantiam, ac ſuperbiam ſapiat.

129 Hoc quoque in palpebrarum pilis obſeruatum eſt, ſolum hominem in palpebra inferiore pilos habere, carere animantia, quæ ratione carent. *Fortè*, inquit peritus ille auctor, *quoniam cætera animalia prona ſunt, & ad terram incuruata, ideo pilos in ſola ſuperiore palpebra obtinuerunt, vt aduenientem ex inferioribus ſpeciem in oculum reflecterent, homo verò qui cæleſtes igniculos, & di-*

uinitatis

uinitatis ſemina in ſe includit, cum erecto capite CÆLESTES ETIAM ORBES ESSET CONTEMPLATVRVS, *ideo pilos in inferiori palpebra obtinuit, vt eorum ſpecies deſuper aduenientes, horum miniſterio exciperet.* Vides vt palpebrarum pili hominis magiſtri ſint, moneantque iugiter hominem, vt Cœlo natus cæleſtia contempletur.

In hoc præcipuè ſe animæ membrum probat oculus, quod illo flente flere anima videatur, & videntes flectit ipſo fletu: *Nihil eſt iucundius*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *oculis, qui ſunt lachrymati. Hoc enim eſt membrum omnium in nobis nobiliſſimum, & ſpecioſiſſimum, atque adeò ipſius* ANIMÆ MEMBRVM. *Tanquam ergo ipſam videntes deflentem animam, ita flectimur.* Nec homines tantùm flectuntur, ſed quod eſt maius, Deus. Animæ non dicetur membrum oculus, ſi animæ partes non tueatur, ſed potius animæ quærat damna, & diſciplinæ omnis

 ex-

expers liberiore conſpectu animam ipſam arietet.

Et ab eo capite, quo oculi referunt eos, qui alios regunt, & alijs præſident, aliud etiam monitum exſculpimus; illorum ſcilicet eſſe, qui ſuper alios ſunt, flere alios, & alijs compati. Benè bonus ille auctor: OCVLI *ſuperiores ſignificant, quorum eſt flere, compati, ac dirigere*. Quàm à ſuo munere abeunt, qui vicem ſuam non dolent, non condolent ſubditis, lachrymas adeo non ſpargunt, vt rideant, & inani diffluant riſu!

130 Denique quid non vtile in oculis, cum vtiles oculorum ſint ægritudines? varijs ſubiacent morbis oculi, vt per quos facilè homo labitur, etiam plectatur, & pœnam ſubeant, qui prompti ad culpas currunt. Nequeo hîc ſupprimere, quæ in hanc rem Feu-Ardentius habet; pluſcula licet ſint, omnia tamen ad rem faciunt: *Nec*, inquit, *prætereundum ſilentio, iuſtiſſimo Dei*

iudicio fieri, vt hic ſenſus plurimis, & acutiſſimis morbis, ad caſtiganda quæ per hunc committuntur ab hominibus, & fœminis ſcelera, frequenter diſcrucietur, & inde afflictemur: quos ex artis medicæ, & chirurgicæ profeſſoribus, hîc raptim colligemus. Eſt enim totius oculi, primò Exophtalmia, ſeu prominentia oculi: eiuſdem imminutio, ac extenuatio: exitus, ſeu expreſſio: ſtraboſitas: catoptis ſiue propinqua viſio: hyperopſia, hoc eſt remota viſio: hallucinatio vel caligatio: amblyopia, id eſt, hebetudo: delachrymatio proueniens ex pituitæ curſu: ruptura ab ictu: confuſio: reſolutio: equus ſeu nictatio: inflatio: putredo, quæ & gangrena dicitur: carbunculatio: nocturna, aut veſpertina cæcitas: acies nocturna: ſolana viſio: tenebroſa affectio. Iure tot vitijs ſubijciuntur, qui tot animam vitijs ſubijciunt. Pergit idem auctor: *Ad hæc palpebris ipſis accidunt, inflatio pruriginoſa: lippitudo alia pruriginoſa, alia arida, alia dura: inuerſio, qua & hiatus: craſſi-*

ties calloſa: mutilatio: durities: inuerſatio: inuiſcatio: leporina palpebra: aſperitudo: ficoſitas: calloſa palpebra: aquoſitas palpebrarum: putredo: hordeum: grando: pediculatio: à pilis offenſio: acies pilorum: lapideſcentia: imbecillitas palpebrarum: ſarcoſis, & alia plura; adeo vt ea quæ circa oculum ob ea plectantur, quæ ipſe oculus deliquit. Non hîc auctor ſtetit: *Ipſæ quoque oculorum membranæ afficiuntur; ſanguinis effuſione: ficu: eminentia: mollitie: perturbatione: lippitudine: ophthalmia: inflammatione: vngula: albicante cicatrice: adnata duritie: foſſula: cauitate: argemone: vlceratione: vlcere ſordido: puſtula: caligine: nebula: ſanie: carcinomate: cicatricibus: procidentia vueæ: muſcæ capite: molene: clauo*, & alijs. Addit: *Nec ipſæ oculorum pupillæ à morbis ſpecialibus vacant. Affliguntur enim, dilatatione: remotione: ſuffuſione: tabe: Tam aduerſa, quàm diuerſa quoque valetudine vexantur oculi noſtri à circun-*

circumſtantibus humoribus, nimirum, glaucedine: albugine: albedine in cryſtaloide: ſugillatione: ſcintillatione. Anguli quoque luminum aliquoties excruciantur, abſceſſu oculari, fiſtula lacrymali: imminutione: agglutinatione epinycti. Neruis denique opticis, à quibus pupillæ pendent, obſunt maximè obfuſcatio: abruptio: concidentia: ſymptoſis. Ecquis omnes oculorum affectiones percenſendo narraret? Multis igitur licet modis huiuſmodi ſenſu, aut organo eius, in Deum poſſimus delinquere: longè pluribus profectò poterit ille iuſta ſua animaduerſione nos in eodem plectere, & caſtigare. Audis quot morbis vnus tentetur oculus, qui tot malorum, niſi benè cuſtodiatur, eſt fons? Iuſtè multis ægritudinibus ſubijcitur, qui totum hominem tot diſcriminibus obijcit, tot exponit malis malè cuſtoditus. Vltima præcipuè ætate aliquo infeſtatur oculus morbo, tanquam rectè homini indicetur, vt præteritorum lapſuum pœnitentiam agat, ſtu-

ſtudeatque ea vitare, quæ puniantur. Sic oculorum morbi erunt ad medicinam, ſi nos in videndo reddant cautiores.

CAPVT XXII.

Multa cordis auribus excipienda corporis aures offerunt.

Improperia, & *detractiones* fortiter ferendas *aurium* numerus docet. 131
Plura *audire* hominem debere, quàm *loqui aurium* geminatio indicat.
Aurium flexuoſi ſinus quò ſpectent. 132
Ab *auribus* quiſque diſcat alios non *lædere*.
Aurium templa ſanctis *ſermonibus* excipiendis. 133
Aures ſpinis ſepiendæ, vt tota mentis

tis *poſſeſſio* cuſtodiatur.
Auribus ſalutaria excipienda non noxia. 134
Bilances aures referunt; iuſti ponderis eſſe debent, quæ excipiuntur.
Inanibus *ſermonibus*, & detractionibus *aures* occludendæ.
Intentio primariò in *Deum* dirigenda. 135
Iudicum nota ex *auribus*.
Obedientia ſemper prompta eſſe debet. 136
Auris ſemper *aperta* quid doceat.
Auditus rationi aptetur. 137
In *audiendo* firmi, & *quieti* debemus eſſe.
Auditus vſu non quærenda quæ *carnem* ſapiunt, ſed quæ ſpiritum redolent.
Senibus, & maioribus quædam *ſimulanda*. 138
Noxia nimia *ſuperiorum conniuentia* *eſt*.

131 VTilia multa aures exhibent, & digna quæ cordis aure excipiantur. In primis numerus ipſe aurium hominem docet, ne vinci ſe ſinat ab alterius lingua, licet dura verba iaciente; cùm duæ aures cuilibet ſint datæ, vna cuilibet lingua, fortior autem, validiorque ille debeat eſſe, qui à duobus adiutus pugnat, quam qui ſolus cum ſolo. Benè ex alterius mente Bleſenſis, dum ait: *Antiſthenes cuiuſdam* IMPROPERIA *vilipendens*: *Auditus, inquit, debet eſſe* LINGVA ROBVSTIOR, *cum ſingulis hominibus vna ſit lingua, ſed aures binæ*. Quàm altè hîc ſe erexerat, & ab auribus ſuis didicerat vincere! Abeunt qui vel vno verbo duriuſculo, quod ab alieno ore fuerit emiſſum, ſtatim cadunt, & victos ſe fatentur, dum ferre nequeunt. Aliter de hoc aurium numero Gerardus Leodienſis philoſophatur: *Attende, inquit, quòd duæ aures datæ ſunt homini ad deſignan-*

dum, quod OBEDIENTIA *debet eſſe ad duo, ad agendum, & ad ſuſtinendum*. Quod ſi aurium numerum non ad alienam linguam comparetur, ſed ad propriam cuiuſque, erumpit ſtatim monitum illud, plura debere hominem audire, quàm loqui, cùm aures duas acceperit, linguam vnam. Scitè ille:

Vt nos pauca loqui, plura autem audire moneret
Linguam vnam natura, DVAS *dedit omnibus* AVRES.

Huc facit, & illud Sancti Baſilij, dum ait: *Natura loquendi, audiendique modum ad proportionis regulam metiens,* DVAS AVRES, LINGVAM VNAM *nobis effinxit: quaſi & duplum diſciplinæ cauſa audire debeamus; & ad ea, quæ rogamus, ſeſquialtera proportione contractum referre ſermonem*. Naturæ legibus contraire videtur, qui plura effundere quærit, nec loquentes alios ferre poteſt:

Sed ad ipſam aurium ſtructuram, 132

ac formationem accedamus. Flexuoſos Deus aurium fabricauit ſinus, ne vocis ſono nimium homo læderetur, & concuteretur, ſi vehementior eſſet, & ex improuiſo aurem feriret. Pulchrè de mundi opificio Piſides:

Auditionis tranſitus arctos facit,
Et FLEXVOSAS *machinatur ianuas*
Fluant in aures ordinis ſerie vt ſoni,
Ne fortè lædantur meatus intimi
Si pulſibus grauiſſimis ſoni irruant.

Extra carminis leges, ſed non extra elegantiæ terminos de hac eadem re ita philoſophatur Sanctus Ambroſius: *Aurium quoque, vt neceſſarius vſus, ita decora ſpecies: quas ſi quis truncauerit, toti vultui infert deformitatem. In quibus ita elaborauit opus ſuum natura, vt ipſi anfractus cauernarum mira prouidentia ſinuati, plurimum vtilitatis afferant,* NE REPENTE FERIAT *ſecreta capiti ſonus. Denique ſæpè multos improuiſo clangore conſternari videmus, & attonitos aut vocis alicuius, aut tumultus*

multus ſono expaueſcere. Sordes ipſæ quæ inter eoſdem gignuntur anfractus, velut quodam glutino auditum ligant. Simul ſi vehementior pulſus fuerit alicuius ſonus, infringitur, ac retardatur, vt prænuntiatus potius mulceat, quàm improuiſus interna concutiat. Vermiculi quoque (ſi aurem penetrare tentauerint) quodam ſordium viſco tenentur. Vbi vides ſordes ipſas adeo auditioni non officere, vt illam iuuent, vocemque ipſam veluti ligent, ne intimos meatus lædat. Idem melleus auctor alibi rem eandem ſic expendebat: *Præſtantiſſimum quoque audiendi munus eſt, & viſui ſuppar gratia. Ideo aures extentiores, vt & ornatus decorem præferant, & excipiant omne illud quidquid de vertice ſordium humoriſue defluxeris: ſimul vt in earum* SINIBVS VOX REPERCVSSA SINE OFFENSIONE *interiores ingrediatur anfractus. Nam niſi ita eſſet, quis non ad omnem fortioris ſonum vocis attonitus redderetur, cùm inter ipſa ſubſidia frequenter impro-*

improuiſo ictus clamore nos obſurdeſcere ſentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætendere aduerſus frigoris aſperitatem, caloriſque flagrantiam: vt neque frigus penetret ductus patentes, neque minus adurat æſtus. Sinuatio autem interiorum aurium, modulandi quendam numerum præſtat, & diſciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rythmus efficitur, & modulis quibuſdam ingreſſæ ſonus vocis exprimitur. Tenaces præterea ſermonis accepti ipſos eſſe anfractu aurium vſus ipſe nos docet, ſiquidem velut in concauis montium vel in receſſu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, & reſponſa ſuauia referens echo reſultat. Ipſæ quoque ſordes aurium non inutiles, quæ ligant vocem, vt tenacior eius in nobis, & memoria ſit, & gratia. Poterat in aurium laudem aptius excurrere, & Dei in earum ſtructura peritiam magis commendare!

Quid verò cautio iſta artificis in aurium ſinibus formandis cauen-

dum

dum nobis inſinuat? An ne loquentes alios læderemus, neue auribus exciperemus, quæ in animum tranſmiſſa, officere animæ poſſent? Studuit Deus aures fabricans, ne voces intimas ſinus læderent, cur non ſtudeamus ipſi ea ſilentio premere, quæ noxia audientium animis ſint, eaque minimè audire, quæ animam ferire noſtram poſſunt, & à puritatis, ac ſanctitatis ſuggeſtu deijcere?

Templa aurium Lucretius dixit, 133
vt nihil in ijs niſi ſanctum exciperetur, & ad eos ſermones eas inclinaremus, qui ſanctitatem nutrirent, non inficerent. Opportunè Sanctus Aſterius de auribus loquens: *Ad ſanos,* SANCTOSQVE SERMONES *inclinare, & patefacere eas oportet, ac per iſtos* QVASI TVBOS *ad animum bona dicta tranſmittere, ac ſi quis vitiorum aſſecla peſtilenſque, ac vitioſus homo propiùs accedit, vt peccati conum per aures infundat, vitandus ille, & fugiendus non*

aliter,

aliter, quàm genus illud ferarum, quæ toxicum eiaculantur. Quodlibet aliud virus eſſe non videatur ſi iſti comparetur, quod per noxia verba in animum tranſmittitur.

Solent loca ea, quæ maximè volumus cuſtodita ſpinis muniri: idem in auribus vt fieret monebat his verbis ſapiens: *Sepi*, inquit, *aures tuas* SPINIS. Sanctus Ambroſius legit: *Sepi poſſeſſionem tuam ſpinis*, ac ſi totam poſſeſſionem ſepiret, qui aures ſepit. *Vnicuique*, inquit, *noſtrum ſcriptum eſt* SEPI POSSESSIONEM TVAM SPINIS. *Poſſeſſio tua mens tua eſt. Bona poſſeſſio mens bona*, quæ vt permaneat, quod eſt, cuſtodiri aures debent, ne noxium aliquid excipiant. Peritè Beatus Chryſoſtomus: AVRES *fecit, non vt verba excipiamus maledica, & blaſphema: ſed vt* DOGMATA SALVTARIA. *Propterea quidem certè quando diſſonum aliquid acceperint, & torpeſcit animus, & ipſum corpus. Sermo enim, inquit, periuri ſtare facit pilos: & ſi*

crudele aliquid, & immite audierimus rurſus horremus. Sin autem numeroſum aliquid, & humanum, ac benignum & geſtimus, & lætamur. In ſonis diſſona diſplicent, cur in moribus abſona non diſpliceant? muſica in vocibus conſonantia probatur, & harmonia, cur idem in operibus non fiat? Sequamur aurium magiſterium, ſi vtilia volumus diſcere.

Cogita quot mala auris non cu- 134
ſtodita in mundum inuexerit, & cautior ad illius cuſtodiam eris. Damnanda non excipiet aure, qui mente auris non cuſtoditæ damna cogitabit: *Magna*, inquit Sanctus Ephræm, *feneſtra, quippè per quam mors in mundum ingreſſa, cunctas deuorauit gentes, ac nationes, & inſatiabilis adhuc remanet. Seris igitur, ac vectibus obſtruendæ ſunt tibi* AVRIVM FORES, *ne maledicentia, & obtrectatio ſubintrare poſſit*. Expendenda ſunt quæ traijci ad cor per aures debent.

Aures ſpecta, & bilancium formam referre dixeris, quin apud Hebræos אזנים *oznaim*, ideſt *bilances* aures dicuntur, vt diligenter, inquit ille, ponderes, quod auribus excipis, videaſque an admitti tanquam iuſti ponderis debeant, an verò tanquam leuioris ponderis reijci. Iſtuc ipſum ex aurium ipſarum ſtructura ita colligebat Gerardus Leodienſis: *Attende*, inquit, *quòd natura dedit tibi aures in anteriori parte* APERTAS, *& retro clauſas, vt per hoc docearis ab ipſa natura, vt poſterioribus ideſt* VANILOQVIIS, ET DETRACTIONIBVS *aures habeas clauſas, ſermonibus verò ædificatorijs aures habeas apertas*. Plerique hunc ordinem euertunt, inanibus ſermonibus vacuas, & apertas aures offerunt, offerunt, vt ita loquar, bibulas, bonis, ſanctitatemque ſpirantibus aures occludunt.

Nec ſitus ipſe aurium ſua vtilitate caret, à latere aures ſunt oculi non item, vt ſcilicet recta in

Deum nostra ferretur intentio, deinde verò in homines. Rem ita conficit, atque deducit Vgo Victorinus, dum ait: *Opus Dei quaſi verbum illius eſt, per quod nobis loquitur: & ipſi oculi quaſi inſtrumenta ſunt, quibus per contemplationem verba Dei percipiuntur. Sicut ergo auris inſtrumentum eſt ad percipiendum verbum hominis: ſic oculus inſtrumentum eſt ad percipiendum verbum Creatoris. Propterea congruè in humano corpore, & oculi coram poſiti ſunt, & aures à latere conſtitutæ: quaſi per hoc nobis ſignificetur, quòd noſtra intentio ſecundariò dirigi debeat ad proximum:* PRINCIPALITER AD DEVM. Abeunt ab hac mente, qui hominum mundanorum potius audiunt verba, quàm Dei, cuius mandata tàm facilè violant, quàm promptè mala ſuadentibus parent.

Nec caſu accidit, vt hoc etiam adijciam, quod medium caput inter aures natura locauit, vt diſceret, qui iudicis officium ſubit au-

dire omnes, & neutri parti nimium adhærere. Benè ille: *Natura* AVRES *humanas geminauit, vt caput in medio illarum collocatum vndique ſonorum differentias apprehenderet. Sic* IVDEX *in loco publico morari debet, vt facilè querimonias, & crimina audire poſſit*. Ita tamen, quod Alexander quoque Magnus feciſſe legitur, vt aurem vni parti ſeruet, alteram alteri, vnam accuſatori vacuam præbeat, aliam reo.

236 Auris in hoc ab oculis differt, quod hos pro libito claudimus, auris ſemper aperta, & verbis excipiendis ſemper prompta; in qua re parentiæ exemplar habemus. Huc nos duxit Gerardus Leodienſis, dum ait: *AVRIS ſemper eſt aperta, ita* OBEDIENTIA *ſemper debet eſſe parata*. Hanc auris vocem cordis non audiunt aure, qui ſuperiorum voces audiunt, cum illis lubet, & pro libito claudunt aures, dum ad ea, quæ iubentur non ſemper ſe exhibent promptos. Semper

patere aures natura voluit, vt ſemper boni aliquid auribus exciperemus. Niſi quod iſta res vigilantiæ quoque tuetur partes, dormientium quippè aures patent, vt facilè homines excitarentur à ſomno, nec nimis profundo ſopore corriperentur; addit Ariſtoteles id factum, vt ſono experrecti homines ſe ſe tueantur; pluribus alioquin, maioribuſque periculis expoſiti eſſent, niſi apertæ aures ſonum quemlibet poſſent excipere, ſicq; faciliùs auertendis periculis excitarentur, ac deniqúe leuius poſſent ad opera, laboreſq; vocari. Diutius ferè ſomno indulgeremus, ſi non patulas ſemper aures circumferremus.

Quid ſi ſpirituali quoque profectui hac aurium perpetua apertione conſultum eſt? Nam plerumque in malo obdurati vtilia, & ſalutaria monita excluderent, aures ſi poſſent claudere, ſæpiùs etiam verba, quæ nos pungunt, quæ nos lædunt, quæ noſtras culpas profe-

runt, quæ nos carpunt, prompta aurium obductione reijceremus; ſicque aut monentis ſalubria conſilia non audiremus, aut fructu, meritis, & commodis, quæ à detrahentibus cum patientia auditis ſolent eſſe, ſpontè, lubenteſque careremus, plus obiectorum verborum vim metuentes; quàm vtilitatem ſpectantes, quæ ab illis. Tàm liberalis in nos natura, imò & Deus fuit, vt nos multis excipiendis bonis aptaret, quæ aliàs reſpuiſſemus.

137 Aures lenes, & molles, piliſque carent, vt lenis, & manſuetus ſit, qui aliorum excipit verba; Præiuit bonus ille auctor: *A*VRES, inquit, LEVES, *minimèque piloſæ ſunt, ad deſignandam ſcilicet* MANSVETVDINEM, *&* LENITATEM, *quæ debet eſſe in obediente, iuxta verbum Sapientis: Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei.* A quo abeunt, qui ad eorum qui Dei ſubeunt vices, imperia, obdureſcunt & efferantur.

Porrò hîc illud indiſcuſſum abire non debet, quod immobiles aures ſoleant eſſe, adeo vt nonniſi ad totius capitis motum moueantur. Rem ad mores ita verſat Gerardus Leodienſis ſuperius productus: *Homo*, inquit, AVRES MOVERE NON POTEST, *niſi moueat caput. In hoc inſtruimur à natura, quod auditum noſtrum non debemus præſtare, niſi vbi* CAPVT, *ideſt* RATIO *conſenſit*. Animalia pleraque mouere aures videas; non ita hominem ratione præditum, fors vt hinc colligatur, in diuinis verbis audiendis quietam, minimèque in varias ſe mouentem partes mentem requiri. Rem expendens ſcitus quidam auctor: *In hoc*, inquit, *ſignificatur, quòd homo debet eſſe in audiendo* FIRMVS, *&* QVIETVS; alioquin ad brutalem videtur naturam accedere, qui mobilitatem, quam in auribus non habet, habet in bonis monitis excipiendis.

Quòd verò ſenſum auditus nulla

voluptas quæ carnem ſapiat, vt in carnis illecebræ comitentur, nulla voluptas quæ carnem ſapiat, vt in alijs ſenſibus accidit, monemur in huius ſenſus vſu, inque auribus ſuperioribus prompta parentia dandis non quærenda, quæ carnem ſapiunt, ſed amanda quæ ſpiritum redolent. Audiendus hîc Sanctus Bernardus, qui ait: *Denique cum in cæteris ſenſibus nonnulla carnis ipſius oblectatio ſit, & magis ad carnem pertinere videatur,* AVDITVS PENE TOTVS EXIT A CARNE, *& ei dilectioni non immeritò conuenire videtur, cuius tota cauſa obedientia eſt: quam pertinere ad auditum ſatis euidens eſt, cum cæterarum vt diximus dilectionum nonnulla à carne ſumatur occaſio.* Auditus ſequatur naturam, qui hoc gaudet ſenſu, carnis oblectationes non ſequatur, hacque vna voluptate afficiamur, quod carnali voluptate non afficimur.

138 Denique quod auditus, eadem ratio, & de oculis eſt, in ſenibus hæ-

hæbeſcat, monentur ſenes, vt quædam quæ aguntur videre non videantur, quædam quæ dicuntur non audire. Præſtat hîc ſiſtere, quæ Plutarchus habet, qui libro de liberis educandis ait: *Conducibile eſt etiam nonnulla peccata liberûm* SIMVLARE PARENTES *ſe non animaduertere: quumque ſub ſenectutem viſus ſoleat, audituſque hebeſcere, eo iſtam ſenſuum imbecillitatem transferre, vt videntes quædam, quæ aguntur, non videant, audientes quæ non audiant. Amicorum delicta toleramus: quid mirum ſi etiam filiorũ? quando etiam ſeruorum crapulam, ebrietatemq; ſæpè non reprehendimus.* Ferè malè audiunt, qui audire omnia volunt, omnia videre, diſcutere omnia, nec diſſimulare aliqua ſciunt, infantiam ſuam produnt, qui quæ ſenectus tectè docet, non diſcunt. Cauendum tamen ne nimia, damnabiliq; conniuentia habenas criminibus laxent, nam cum de auertendis peccatis agitur, ſimulatio

 tan-

tanquam noxia inſimulanda eſt, & reprehenſione ſunt digni, qui indigna perpetrantes tanquam illa non viderent, non reprehendunt.

CAPVT XXIII.

Naſi anatomia quid doceat.

Naſi fabrica expenditur. 139
In *naſi* formatione & vtilitati, & pulchritudini conſultum.
Alienæ *virtutis odorem* ſentire qui vult, ſe à vitiorum ſuorum immunditijs purget.
In anima perficienda, nec *minima* negligenda vt naſus doceat. 140
Nares ab *Indis* ſingulari honore affectæ.
Paradiſi deliciæ hic *odorandæ*.
Quod *impurum*, & infectum ad *cor* minimè tranſmittatur. 141
Dei aſſiduè debemus *recordari*.

Noſtra cæteris *communicanda nares* vt doceant. 142
Bonum *virtutis odorem* quilibet emittat.
Humilitatis ſchola *nares* vt ſint. 143
A noxio *pulchritudinis* amore nos *naſus* auocat.

AD opificium virtutis Dei opificium hominem eſſe, incæpimus veluti digito tangere, ac probare, cum hominis corpus vniuersè verſaremus, & aliqua illius membra abſque vlla ſeparatione ab alijs calamo diducta expenderemus. Offert ſe nunc odoris organum naſus, à quo multæ vtilitatis elici poſſe conijcio, & ſubodoror. 139

Formauit illud Deus, & in vultu pulchritudinem, & in hominis vtilitatem. Scitè de illo Salianus: *Quid* NASVS *vtrique lumini ſubiectus eſt medius? organum quidem eſt recipiendis odoribus fabrefactum: Sed*

idem nihilominus valet vt ſit inſtar canalis ad purgandum cerebrum, inſtar ianitoris ad pulmonum reſpirationem, & interni caloris temperamentum, quaſi murus ad protegendos oculos, quaſi eburneola fiſtula ad modificandam vocem, ideoque illo catharris impedito ingrata vox reſonat auribus noſtris; vt ſit ingenij, iudicijue iudex, & nuntius, vt ſit non mediocre decore, faciei ornamentum. De organi huius vſu, venuſtate, ac pulchritudine aptè & Lactantius, cuius hæc ſunt verba: *Ex quorum confinio* NASVS *exoriens, & veluti æquali porrectus iugo, vtramque aciem ſimul, & diſcernit, & munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in ſimilitudinem collium leniter exurgens, ab omni parte oculos efficit tutiores, prouiſumque eſt ab Artifice Summo, vt ſi quis fortè vehementior ictus extiterit, eminentibus repellatur. Naſi verò pars ſuperior vſque ad medium ſolida formata eſt. Inferior autem chartilagine adhæret molli, itaut ad vſum digito-*

rum poſſit eſſe tractabilis. In hoc autem, quamuis ſimplici membro, tria ſunt officia conſtituta. Vnum ducendi ſpiritus. Alterum capiendi odoris. Tertium, vt per eius cauernas purgamenta cerebri defluant. Quas ipſe Deus tàm mirabili, quàm diuina ratione molitus eſt, vt tamen hiatus ipſe naſi, ORIS SPECIEM NON DEFORMARET. *Quod erat planè futurum, ſi ſimplex foramen pateret. At id velut pariete per medium ducto interſepit, atque diuiſit, fecitque ipſa duplicitate pulcherrimum.* Pulchrè melleus auctor de naſi vſu, ac pulchritudine. Non ab re, eiuſdem eſt organi, & cerebri purgamenta foras emittere, & obiectos percipere odores, vt qui alienæ virtutis odorem ſentire vult, ſe à ſuorum vitiorum immunditijs purget.

Pulcher naſus ſit, ſi tamen ei, 140
vel cacumen abſcindatur, quis non videat totius faciei venuſtatem perire? Vt ab hoc diſcas nihil exiguum negligere, quod ad animæ

pulchritudinem faciat. Implantanda hîc ſunt quæ habet Sãctus Chryſoſtomus: *Sint lucentes,* inquit, *oculi, & gena ſubridens, & labrum rubicundum, & naſus rectus, & porrectum ſupercilium: ſed tamen ſi quodlibet ex ijs peremeris, perimes etiam communem omnium pulchritudinem, & apparebunt omnia triſtitiæ plena, & turpia quæ priùs erant pulchra. Nam ſi vel ſolam* SVMMAM NASI PARTEM *contriueris, in omnia ſummam infuderis deformitatem.* Sic ferè accidit, vt vna macula totum hominem deuenuſtet, & vnus defectus totum virtutis deformet vultum.

Aërem recipiunt, emittuntque nares non ſibi ſolis, ſed & omnium præcipuè cordi, & quod eſt conſequens omnibus ſenſibus. Benè Dracontius.

Faucibus excurrens in NARIBVS *aura viciſſim*
Vitales animat per membra tepentia ſenſus.

Nobilem narium vſum nouerunt

Indi, & præcipuè Chinenſes, licet inepto id ſigno ſignificent, dum per medias nares tranſmittunt anulos, aut minuta cornua, denteſque ex foraminibus illis ſuſpendunt, *quaſi digniſſimam partem,* vt ait Hugo, SINGVLARI HONORE *adficiant.* Hinc Indorum morem ad vtiliorem transferre poſſumus, ſi hinc diſcamus cœleſtes, vt Sanctus Bernardus aiebat, ODORARI delicias, quæ annulum ſua perennitate referunt.

Aërem porrò ad pulmonem tranſ- 141
mittunt nares, ſed quod dignum eſt obſeruatu, parum, minimèque infectum, aut inquinatum, quod non accidit in illo, qui per oris meatum tranſit. Notabat iſtuc Caietanus: NASVS, inquit, *eſt extrinſecum purum reſpirationis, & inſpirationis; cuius duo ſunt ſigna, alterum quod naſus factus eſt patulus, os autem clauditur, vnde dormiendo clauſo ore, inſpiratio, & reſpiratio ſufficienter fit per naſum; alterum eſt, quòd*

aër

aër in ore inquinatur ex vaporibus, qui eleuantur ex ſtomacho, vt patet in iis, qui ſunt fœtidi anhelitus, aër autem per naſum reſpiratur abſque INQVINATIONE *ad pulmonem tendens*. Ab hoc igitur organo diſcimus puros ad cor ſpiritus tranſmittere, omne quod infectum, inquinatumque eſt à corde reijcere.

Purus aër ad cor tranſmittitur, ſi Deus Dei notitia, & amor tranſmittatur. Reſpirationem puram efficit, qui memoriam Dei illi inſerit ea mente, qua Sanctus Chryſoſtomus referebat: *Dei magis* RECORDARI, *quàm ſpiritum ducere oportet, velut à Gregorio Theologo dictum eſt*. Vitalis reſpiratio iſta eſt, nec ſignum tantùm vitæ, ſed & cauſa, quæ in cor Deum traijcit, & cordi inſerit. Huc facit & illud Nicetæ: *Quemadmodum*, inquit, *corpus niſi* SPIRET *viuere non poteſt, ſic nec anima conſiſtere, atque conſeruari niſi Creatorem ſuum cognoſcat*, & dum cognoſcit diligat. Vt igitur aſſiduè

aër

aër in cor ad vitam ducitur, ſic Deum ſpirare, liceat ita loqui, anima debet vt viuat. Purè etiam ille reſpirabat, de quo Beatus Dionyſius ſcribit: *Paſtor diſſeruit, quòd tàm indeſinenter debet Monachus, timorem Dei, & humilitatem mente reuoluere, quam inceſſabiliter attrahit* AEREM. Nihil illi timeamus mali, qui dum ſpirat Dei timorem recipit, vt illo videatur viuere; omne illi inuideamus bonum, qui humilitatem aſſiduè cogitat, non ſecus ac aërem, per quem reſpirat, trahit, & emittit.

Nares recipiendis etiam odori- 142
bus aptæ, quem tamen ad cerebrum tranſmittant. Eleganter, vt ſolet Sanctus Ambroſius. DE NARIBVS, inquit, *quid loquar, quæ biuio, & procero foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præſtant, vt non perfunctoriè* ODOR *tranſeat, ſed diutius inhæreat naribus, & earum ductu* CEREBRVM, *ſenſuſque depaſcat? Ideò diutius odor fragrat ac-*

ceptus,

ceptus, quàm ſermo reſonat, aut viſus apparet. Plerumque quod momento breui fueris odoratus, toto die tibi ſpirat in naribus. Hac re docent bona, quæ quis accipit cæteris eſſe communicanda. Iſtuc idem nares docent, dum odorem ad cerebrum tranſmittunt. Benè rem verſat Sanctus Chryſoſtomus, dum ait: *Nares bonum ſentiunt odorem, ſed non eos ſolæ detinent: ſed* AD CEREBRVM TRANSMITTVNT, *& ſtomachum collocant in bonis odoris perceptione, & per ſe totum hominem recreant: ita tu quoque ne quod tibi traditum fuerit ſolus detine. Omninò enim tibi ante alios afferes exitium.* Plerumque quod vtile eſt dum communicatur alijs, nocere incipit, ſi ſolus quis illud poſſideat.

A bono odore, quem cum voluptate excipit naribus homo, diſcat & bonum virtutis odorem ad aliorum vtilitatem emittere. Audio Sanctum Gregorium Nazianzenum: *Olfactu curemur, vt non effe-*

mine-

minemur, SVAVISQVE ODORIS *loco puluere conſpergamur, verùm vnguentum illud noſtra cauſa effuſum odoremur, ſpirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati, & commutati, vt ex nobis quoque* SVAVIS ODOR *affletur.* Virtutis odorem foras emittamus vitiorum fœtore penitus ablato.

Denique purgamenta, quæ ex 143
naribus deffluunt apta ſunt hominem à ſuperbiæ impuritate purgare. *Aduerte homo,* inquit ſcitus ille auctor, *quid per* NARES *emittas, & deſine ſuperbire,* demittere te poſſunt, quæ emittunt nares, & ſuperbiam tuam, faſtumque ſanare; cùm ſterquilinium ab hac parte te probent eſſe.

In ſe humilitatis ſcholam homo habet, ſi ſe cogitet; niſi quod hinc quoque diſcit; quid animæ ſuæ debeat, quæ hoc ſterquilinium fert, & impedit ne ſit maius, & magis intolerabile. Rem vtramque ſic verſat Beatus Laurentius Iuſti-

nia-

nianus: *Aduerte obſecro homo, cum ipſa incolumis eſt quid emittat per* NARES, *quid per oculos, quid per os, ac cæteros corporis meatus, quod enarrare pudet, tam fœdum eſt. Velut enim abominabile quoddam* STERQVILINIVM, *ſine interuallo ſcaturire non ceſſat horrendum fœtorem. Talis namque ex ſui natura eſt, quòd niſi miro modo conditoris ſapientia ſingulari amoris glutino animam eidem naturaliter copulaſſet, illi omninò intolerabilis eſſet, quod incredibile nequaquam eſt, conſideratis vtrarumque naturarum varijs affectibus. Spiritus enim ſobrietatem, caro verò diligit ſaturitatem. Spiritus vigilijs ſe exercere conatur, vt Deo magis vacare poſſit, caro autem tanquam ſus lota in luti volutabro ſopori funditus immergitur, ſibi ſoli vacare ſtudens. Spiritus vt futurum queat vitare iudicium ſe mœrore afficit, ac diligenti inquiſitione, atque compunctionis ardore ſpiritualia vitia reſecare non deſinit, hæc autem tota exterioribus occupata illecebris,*

ita

ita illis paſci concupiſcit, & refici, ac ſi nunquam debeat indicari. Noſtrarum partium eſt, eam partem præcipuè tueri, quæ præcipua, eam honorare, quæ præſtantior, carnis ſterquilinium qui ſpiritui præfert, meretur ipſe iacere in ſterquilinio.

Ab alienæ quoque pulchritudinis amore auocare hæc fœditas quemlibet poteſt, & à mollioris ſexus affectu abiungere. Opportunè Sanctus Chryſoſtomus: *Si tecum reputes, quid intra pulchros illos oculos ſubſit, quid intra rectum* NASVM, *quid intra os, & genas, nihil aliud dicturus ſis venuſtatem corporis, quàm ſepulchrum calce illitum, tantis ſordibus plena eſt.* Innocentius alieni corporis ſpectaret quiſque pulchritudinem, ſi in exſtima ſuperficie non ſiſteret, vlterius iret. Sepulchrum, qui viſam venuſtatem ſciret, non illi facile immoraretur, horreret illam, non ad illam curreret.

CA-

CAPVT XXIV.

Os hominis quid homini etiam tacens loquatur.

Oris ſermone ratione ſe præditum homo indicet. 144

Vix homo dicendus, qui *venenum* ex *ore* euomit.

Serpenti par, qui vim ſuam *ore* prodit. 145

In *oris* paruitate *parſimonia* commendata.

Os oſtium refert, quod opportunè claudi, & aperiri debet.

Os hominis, quanti *Deus* fecerit. 146

Quaſi *porta* caſtri *os* cuſtodiendum.

Anima intra *os* velut pudica *virgo* ſe contineat. 147

Tanquam res ſacra *os* tractandum.

Rationis claue os claudendum, & aperiendum. 148

Halitus, qui vt fumus ex *ore* egredi-

tur incendij, & periculi latentis nos admonet.

Peccati fætorem peccator non ſentit, ſicut nec ille, cui ſpiritus malè olet. 149

Saniem ex *ore* emittunt, qui impura loquuntur verba.

Nihil Dei ſeruus *ſpiret*, quod *Deum* non ſapiat. 150

HOminis partes ad hominis 144
informationem cum verſemus, præteriti os non debebat, in quo verba formantur; ſoli homini datum eſt, vt ore exprimat, quod in corde deliteſcit. Os enim licet etiam bruta habeant, non tamen vt loquantur; vt ab hoc diſcrimine homo diſcat, ea ex ore emittere, quæ eum à cæteris animantibus diſcriminent, rationem ſapiant. Hoc hominis priuilegium expendens Sanctus Ambroſius hæc efferebat. *Illud quoque præcipuum, quòd ſoli homines ore exprimimus* QVÆ CORDE SENTIMVS: *itaque cogi-*

tationes tacitæ mentis, oris ſermone ſignantur. Quid eſt igitur os hominis, niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Solus homo os ad loquendum habuit, vt loquutione ſe proderet rationis capacem, nec aliquid abſonum loqueretur. Alioquin ore abutitur, qui ore ea emittit, quæ aliena à ratione ſunt. Ab ore aureo accipe quæ obſerues vſu. *Fecit* TIBI OS? *ex hoc nihil prodeat, quod Deo* NON PROBETVR: *ſed pſalmodias, hymnos, odas canat ſpiritales, vt det gratiam, inquit, audientibus, ad fulciendum, non ad euertendum, ad benedicendum, non ad maledicendum, non ad ſtruendas inſidias: ſed contrà omnino.* Qui ore non loquitur, ſed mordet, venenumque euomit, neſcio an homo dicendus ſit, vel potius fera. In ferarum ſe cenſu locat oris abuſu. Aureum hoc quoque & ab eodem aureo ore. *O homo: ne* VENENVM EVOMAS ASPIDVM. *HOMO*

ES:

ES: FERA NE FIAS. *Propterea tibi factum eſt os, non vt mordeas, ſed vt medereris. Recordare quid te palam Deus admonuerit, vt parcas, & remittas. Quoniam diabolus nouit, quod in nos ipſos enſem agimus, tunc nos non circumfert, neque diſtrahit, vt magis nobis noceat. Itaque contra diabolum ora, qui nos ſuper omnes afficit iniuria; hic enim & inimicos parit: ſin autem aduerſus inimicos oraueris, orationem, quam ille quærit orabis; ſicut è contrà ſi pro inimicis, aduerſus eum. Hic enim eſt impacatus hoſtis; at homo quæcumque faciat, amicus eſt & frater.* Reſpici vt homo non meretur, qui hominem non reſpicit vt fratrem; feram ſe facit dum mordet. Itaque plures in ferarum cenſu iam ſe locant, qui obuios quoſque mordent, & caninum dentem in homines infigunt.

Olim os ſerpente ſignificabant. 145
Ita Horus Apollo rem tradit, qui & cauſam adijcit, dum ait: *Os ſi-*

gnifi-

gnificantes, ſerpentem pingunt, quoniam SERPENS *nullo alio membro valet, niſi ore*. Olim homines ſerpentem referre venenum emittentes, venenataque verba. Nihil valet qui ore ſolo valet, & qui vim ſuam nudis verbis indicat. Ineptè vires prodit, qui virus loquens emittit. Sed ad alia, quæ os docet, licet taceat, pergamus.

Oris ipſius paruitas vtilitatem non paruam afferet, ſi quod tacitè inſinuat, opere compleamus. Si corporis magnitudinem ſpectemus os valdè exiguum, & anguſtum homo habet, fors vt ſtatim diſceret ciborum parſimoniæ litare. Opportunè Vincentius Beluacenſis: *Homo*, inquit, *in comparatione ſui corporis* PARVI ORIS *eſt, cætera animalia hiatum amplum, & longum habent, homo verò è contra anguſtum, & rotundum, in quo notatur* PARSIMONIÆ *virtus, quo debet cæteris omnibus præcellere*. In fercula ſi ſe totum effundat homo, ſi ori infundat,

dat, quantum poteſt, oris ſuæ paruitati, & anguſtiæ non reſpondet.

Præterea cum in portæ modum formatum os ſit, debet ſuo tempore claudi, ſuo aperiri; vt nec ſemper taceamus, nec loquamur ſemper; pleraque fateamur, ſupprimamus aliqua; ſi OSTIVM *eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *aperiatur ad confeſſionem peccati, claudatur ad excuſationem peccati*. Rectum inuertit ordinem, & euertit ſe, qui ad excuſationem oſtium iſtuc aperit, claudit ad confeſſionem.

Os maximi fecit qui nos fecit, 146
cum ſuper cætera membra ſingulari priuilegio extulit. Diuinas ſcripturas dedit, quibus ſanctificaretur, Euchariſticum inſtituit panem, quo os veluti bearetur, & ne aliquid deeſſet, ſuo non ſemel oſculo, cùm hîc eſſet Chriſtus os hominum inſigniuit, & quis deinceps inquinare, & inficere audebit aut impuris ſermonibus, aut contumelijs, aut maledictis? Im-

plantanda hîc, quæ auctor ab aureo ore de ore dixit: *Deus* OS TVVM ORNAVIT *tam multis, hymnis Angelicis, alimento non vtique Angelico, ſed ſuperuangelico, ſui oſculo & ſuis amplexibus, & contumelia afficis? Noli quæſo.* Non ferres alium, qui lutum ori tuo immitteret, & tu ſpontè immittis quæ luto fœdiora, ac nocentiora? Ex ore qui impura emittit verba, ori immittit, quod eſt omni ſtercore fædius. Sed quia hîc ſumus aliqua de oris cuſtodia adijciamus.

Caſtri, & vrbis portæ tàm cautè cuſtodiuntur ne hoſtibus pateant caſtra tota, pateat tota vrbs; cur non os cuſtodiatur, qui totius hominis eſt porta? *Os*, inquit Vmbertus, *eſt* QVASI PORTA *hominis, vnde cuſtodia oris, tam eſt homini neceſſaria in homine, ſicut in caſtro cuſtodia portæ.* Hoſtibus ſe exponit, qui oris portam incuſtoditam relinquit, quot ſuorum hoſtium ludibrium euaſere, non ob aliud, niſi quod

hanc oris ianuam neglexerunt cuſtodire?

Ne oris minus cuſtoditi damna 147
anima ſentiat ſe intra oris velut oſtij limen contineat, cùm facilè per oris ianuam foras prodeat. Anima vt ſuæ ſaluti conſulat, tanquam pudica virgo ſe intra domus penetralia cohibeat, alioquin ægrè hunc titulum ſuſtinebit, ſi foris vagetur. Meretricis eſt ad domus ſuæ fores ſemper ſtare, vt tranſeuntes alliciat, Virgo non facile ſe ſpectandam foris exhibet, intra clauſtra ſe abſcondit, vt eſſe perſeueret, quod eſt; idem anima præſtet ne decorem ſuum amittat, & de candoris ſui ſuggeſtu deijciatur. Aduocanda huc ſunt, quæ habet Sanctus Petrus Damianus: *Anima,* inquit, *noſtra Superni Regis eſt ſponſa, quæ accepto pignore ſancti Spiritus ſignaculo fidei eſt dotata. Maneat ergo in ſuis penetralibus* VIRGO, *non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egreſſa, in ſuperuacua*

ſe verba, ac ſæcularia inaniter fundat. Puritati ſuæ quæ conſultum vult, non facilè foras prodeat, nec nimio verborum fuſu iaciat, quod acquiſierat; pudicæ ſponſæ non eſt meretriciam euagationem amare, & de pudicitiæ ſibi titulo blandiri.

Os oſtium eſt, ſed non commune, nec quale communes mundanorum domus habent, ſed quale Dei templa, vt ſacrum ſit, & tanquam res ſancta contingendum; & cur non ſanctitatem illi affricauerit Corpus Christi, quod per illud pectus noſtrum ſubit? Nequeo hîc ſuprimere quæ habet in hanc rem, in oris commendationem Sanctus Chryſoſtomus, cuius hæc ſunt verba: *Templum Chriſti ſumus. Itaque* TEMPLI VESTIBVLA, *& aditum oſculamur, cum alij alios oſculamur. An non cernitis quotnam homines etiam huiuſce templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes. Ac per has por-*

tas, & ianuas, ingreſſus eſt Chriſtus, myſteriorum participes eſtis, quid dicam? Neque enim vulgari quodam honore os noſtrum afficitur, cùm Corpus Dominicum excipit. Eaque præſertim de cauſa tum mutua oſcula iungimus. Tanto honore noſtrum os Chriſtus afficit, & nos tanta afficimus contumelia, & vulgarium, profanarumque verborum fuſu ſacra hæc veſtibula profanamus?

Portæ, quas maximè munitas vo- 148
lumus, clauduntur ſeris, clauibuſque muniuntur. Idem hîc fiat, & diligentius, quò maior à neglectu timeri poteſt iactura. Opportuna clauis ratio eſt; quæ ſi deſit ſuo muneri, nec oris ianuam cuſtodiat, omnia quæ latent furibus expoſita ſunt, omnia hoſtium violentiæ patent. Feſtiuè Sanctus Chryſoſtomus: *Os noſtrum perpetuò cuſtodiamus,* RATIONEM EI TANQVAM CLAVEM *adhibentes*. Alioquin non queratur ſibi meliora paſſim ſurripi, ſi hac quis non vtatur cla-

ue cum poſſit, ac debeat. Sed dum de ore agimus, expendamns & halitum, qui mittitur ex ore, nam hinc quoque vtilia eliciemus monita.

Ex ore halitus exit qui refert fumum, vt intus incendium latere ſciamus, ac proinde de vitæ diſcrimine ſemper cogitandum; vt non mirum ſi cor quoque aſſiduè pulſet, non ſecus ac campanum æs, quod ad incendium extinguendum omnes vocat. Pulchrè rem verſat Faber, dum ait: *Vbi fumus, ibi ignis & incendium aliquod: Vbi incendium, ibi pulſus campanæ tumultuariæ ad conuocandum populum reſtinguendo incendio. Atqui fumum dum ſpiramus, continuò efflamus ex ore, & naribus noſtris, incendium ergo prodit. Deinde pulſus cordis noſtri quid niſi* CAMPANA TVMVLTVARIA, *& ſermo ſcintillæ, ſeu vox* INCENDII *admonens nos periculi noſtri, ne tardemus ſurgere, & occurrere huic incendio.* Quis ſe tutum credat intus

ignem claudens? Quis non in cinerem ſe citò vertendum cogitet, incendia intus fouens?

Præterea in ſpiritus emiſſione hoc 149
accidit miri, vt plerumque infectum, & malè olentem quis halitum ex ore euomat, omneſque fœtorem ſentiant, ſolus ille qui euomit non ſentit; quæ res hoc inſinuat, ægrè vitia ſua quemlibet cognoſcere. Rem ad peccati fœtorem, quem peccator non videtur ſentire, licet Deo, Angeliſque, ſit grauis, ſic pius quidam auctor transferebat: *Ille qui anhelitum ex interiore corruptione, vel dentium putredine fœtidum emittit, ferè* NVNQVAM PRÆSENTIT, *licet alios inficiat, & offendat: Sic eſt, inquit, ſuperborum, aut peccatorum omnium cor, licet enim ſit magis, ac magis fœtidum, peccatiſque, & flagitijs corruptum, ita vt neque homines, neque Angeli, illud ferre poſſint: ipſe tamen* PECCATOR *id non aduertit, ſed ſibi bene olet.* Sicque cum Deo, Angelis, homi-

nibuſq; diſpliceat, ſoli ſibi miſer placet; hoc ipſe infelicior, quòd ſe eſſe non agnoſcit, nec quàm grauem odorem emittat nimis leuis ſentit.

Ex hoc verò, quod maximè illius vitamus conſortium, cui os fætet, monemur vt ab illorum nos familiaritate ſubducamus, qui impura, & obſcæna emittunt verba: præterea alieni oris qui fœtorem fugit, cauere debet ne eius apud Deum anima fœteat: *Præſtat*, inquit auctor ab aureo ore, SANIEM EX ORE EMITTERE, QVAM VERBVM OBSCÆNVM. *Ac nunc, ſi fæteat os, ne ad communes quidem cibos admitteris: cùm autem anima vſque adeo fæteat, heus tu, myſteria percipere non dubitas?* Non ferendæ inſaniæ eſt in alieno ore horrere fœtorem, & in anima propria non ſolùm admittere, ſed & quærere, & grauiorem culpis grauioribus reddere.

150 Denique vt in oris ſpiritu definiam,

niam, audi quid Crantius de quorundam referat inſania. In Rugianorum Vandalorum Vrbe Arcone Luantouiti Idolum colebatur. Semel quotannis, poſt lectas fruges, mactatis ante oſtium victimis, ſolemne gentis epulum erat. Ædem Sacerdos verrebat, SPIRITV ORIS COMPRESSO: quem quoties renouare opus erat, ad oſtium decurrebat, ne humano halitu Numinis præſentia offenderetur. Riſu quidem res digna, ſed quæ interim veri Numinis cultores ſeriò arguat, dum nihil ferè ex ore emittunt, quod terram non ſapiat, non redoleat carnem. Quod ſuperſtitioſè Idoli cultores præſtabant, religioſè veri Dei ſerui præſtent, curent nihil ſpirare, quod non ſit diuinum, aut quod Deum non ſpectet, & quod ridemus in illis, admirabimur in iſtis.

CAPVT XXV.

Dentes, quid doceant.

Quidam artificio *dentes inaurabant*; quî id ſanctius præſtetur. 151

Dentium vſus expenditur, & explicatur.

Dentes carnificis munus debent exercere, labentem *linguam* mordentes.

Homo vallum *dentium* habet ad coërcendos leues *ſermones*. 152

מלל quid; quod *loquimur* à mentis conceptu præcidendum, & reſecandum.

Qui *loquitur* à brutis ſe præciſum, & ſeparatum cogitet.

Lingua quodam carcere coërceatur. 153

Dentes futuræ *reſurrectionis* vt nos moneant.

Impendentis *mortis* prodromus *dentium* motus, & caſus. 154

Gingiuæ duris dentibus additæ, duritiem

ritiem *benignitate* temperandam clamant.

Mititatem à ſuis *dentibus* vt homo diſcat. 155

Religioſi dentibus comparati.

Dentium natura, & qualitates viris *eccleſiaſticis* aptatur. 156

Religioſorum magiſtri vt ſint *dentes*.

DEntes ita linguæ ſunt proximi, vt linguam etiam ſuam habeant, quin & linguæ quædam ſint. Audi quid doceant, excipe quid clamant, & ſubſignabis. Apud Indos ſacrificuli, quos Beccos vocant, dẽtes artificio inaurant; luxum iſtum, hanc leuitatem in melius nos hîc verſemus, docentes quî aurum vtilium monitorum ex dentibus elici poſſit, ditiores ab hac parte illo futuri, quem perhibent inter dentes vnum aureum habuiſſe; nos omnes habebimus, certè ab omnibus naſcetur aurum, ſi feriò res expendamus, quas illi docent. 151

De vſu dentium hæc Salianus habet: DENTES, inquit, *vides? ad conficiendum vtique cibum dati ſunt, eum anteriores ſcindunt, & diuidunt, laterales confringunt, molares comminuunt, & tamen ita vſui ſunt ad loquendum, quaſi is eſſet vnicus eorum vſus; ita nec infantuli ante adeptos dentes, nec edentuli ſenes poſt eos amiſſos, ſatis articulatè loquuntur, vſui ſunt ad vim arcendam in palatum, ita enim ad eius aditum collocati ſunt, vt à militum cohorte expedita fidelibus officium expectare non poſſis; vſui ſunt ad innumera miniſteria, quibus manus ipſæ non ſufficiunt.*

Linguæ dentes ſeruiunt, vt perfectè exercere munus ſuum poſſit, rem ſic explicat Sanctus Auguſtinus: *Dentes non tantùm nos adiuuant ad manducandum, verùm etiam* AD LOQVENDVM; *ſicut plectrum neruos, ſic linguam noſtram vt ſyllabas ſonet, percutientes.* Nec adiuuant tantùm linguam, vt loquatur, ſed & caſtigant ſi loquatur malè, vt lin-

linguæ carnifices eſſe videantur. Dentes, & lingua ita ſe habent, vt facilè mordere eam poſſint, & caſtigare, ſi eſt lapſa, aut cohibere ne labatur; voluit hoc Deus cum linguam labiorum, dentium ſæpiuit muro. Scitè auctor ab aureo ore: *Ideo*, inquit, *Deus eam* (linguam) *muro duplici voluit circundari. Nam dentium tegmine, & labiorum cuſtodia continetur, ne verba improuida garruliter proferantur. Refræna igitur linguam: & ſi non patitur reticere, dentium morſu quieſcat, & tanquam* CARNIFICI *tradatur dentibus*. Diſcat non mordere dum mordetur, & non ſæuire dum plectitur, ac caſtigatur.

Præterea dentes vallum refe- 152
runt, quo à nimio verborum fuſu homo cohibeatur, ſermonum leuitas coërceatur. Pulchrè Stobæus: *In garrulo verborum flumen eſt, mentis gutta. Homines magnum poſſident* VALLVM DENTIVM *ad coërcendos leues ſermones;* dentes ſe obliuiſci-

uiſcitur habere, qui noxios, nimiſque leues ſermones non præcidit.

Dentes, & linguam ſpecta, an non præcidendi inſtrumenta re ipſa ſe produnt? Ad cibos ſi rem tantùm extendamus, nimis anguſtè de naturæ ingenio ſentimus; ad verba, ad ſermonem non alienè porrigas; vt ſtatim, ritè, rectèque loquentis eſſe omnia ex interno cordis conceptu velut præcidenda; hinc apud Hebræos verbum מלל *malal*, & præcidere, & reſecare ſignificat, & verba facere, ſiue ſermonem habere, quia loquela, vt ait peritus ille rerum Hebraicarum auctor, *cùm fiat dentium anteriorum acuminatorum adminiculo, ſit velut rami illius, ideſt interni conceptus* QVÆDAM RESECATIO, *ac præciſio*. Quàm minimè leuia, & imprudentiæ nota non infecta verba eſſent, ſi ita velut ſurculi arboris plantatæ in corde præciderentur? Niſi dicamus præcidendi, & loquendi notiones in vnum, idem-

que

que verbum coëuntes tacitè clamare, ita verba effundenda, vt inutilia, ac noxia ſuccidantur. Denique non defuere, qui diuerſos hos in vna voce ſignificatus, ita in concordiam vocarunt, vt præcidere, & loqui eodem Hebraico notetur verbo, quia qui loquitur, cogitare ſtatim debet ſe ſermonis vſu à cæteris eſſe animantibus PRÆCISVM, ET SEPARATVM, ac proinde loquentis eſſe ea emittere verba, quæ ſtatim illum ratione eſſe præditum probent, & ab ijs quæ à ratione aliena ſunt alienum.

Nimis libera eſt lingua, foras 153
prodit, & tacere neſcit? neſcit ſe intra ſua clauſtra velut in ſuo carcere continere? tradatur dentibus, qui eam mordeant. Opportunè Sanctus Fulgentius: *Inde, inquit, habes* DENTES, *morde illam, ſi tacere non poterit, in ſpeluncam* INTRA CARCEREM, *indiſciplinatam tui oris linguam include, ne cùm malè exierit, eam gladius feriat. Impera illi*

dum

dum licet, quia non reuertitur ſermo, dum exierit. Si non potes bene loqui, liceat vel tacere. Dentium officium ne coarcta, non ſecandis tantùm cibis ſunt dati, ſed & linguæ mordendæ, ſi liberior ſit, & effrænatior.

Sed ipſa dentium diuturnitas eruditio noſtra eſt. Dentes vita corpore functo, oſſaque conſeruantur incorrupta, nimirum tanquam ſemina quædam futuræ reſurrectionis; voluit iſtuc his verbis Tertullianus: *Conſtat*, inquit, *non tantùm oſſa durare, verùm &* DENTES *incorruptos perennare, quæ vt ſemina retinentur fructificaturi corporis* IN RESVRRECTIONE. Crede reſurrecturum ſuo tempore corpus, dum vides temporis corruptioni dentes non ſubiacere. Quàm altè philoſophari quis poteſt dentes ſuos ſentiens; ad futuram, melioremque vitam ſtatim ducitur; ſequere tuos dentes, & tacitam illorum vocem audi. Quis non ſuam vitam innouet,

uet.

uet, nouam vitam cogitans, ad reſurrectionis futuræ dentium monitu mentem flectens!

Et verò ita futuræ vitæ quædam 154
ſunt ſemina dentes, vt etiam præſentis labilitatem ſignificent, noſque impendentis admoneant mortis. In ipſa ſenectute plerumque aut etiam ante ipſam dentes nobis aut excidunt, aut in locis ſuis parum ſtant firmi, ac motu clamant, nos hinc citò amouendos, & dum cadunt nos caſuros monent, cùm firmior corporis noſtri pars temporis præiudicium ſentiat, ſcilicet mortis PRODROMVS videtur dentium motus, ac caſus.

Dentes non nudos eſſe Deus voluit, ſed gingiuis ornatos, ne horrorem videntibus incuterent. Ornatè de dentium ornamentis hæc Lactantius habet: *Dentes autem ipſos ne* NVDI, *ac reſtricti magis horrori, quàm ornamento eſſent, gingiuis mollibus, quæ à gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus*

nibus

nibus honeſtauit. Quorum durities ſicut in morali lapide, maior eſt, & aſperior, quàm in cæteris oſſibus, aut ad conterendos cibos, pabulumque ſufficerent. Labra ipſa, quæ quaſi antea cohærebant, quàm decenter intercidit, quorum ſuperius ſub ipſa medietate narium, lacuna quadam leui, quaſi valle ſignauit, inferius honeſtatis gratia foras molliter explicauit. Et verò molles GINGIVÆ duris dentibus additæ docent duritiem benignitatis mollitudine temperandam, alioquin firma ſtare non poterit, ſicut nec dentes gingiuarum auxilio deſtituti. Dentes duri ſunt, ac firmi, ſed molles eos ambiunt cinguntque gingiuæ, quæ, vt ille ait, *mollem* BENIGNITATIS *virtutem repræſentant, quæ in humano ore verſare debet.* Durities ſola non ſolùm inutilis, ſed noxia eſt.

155 A ſuis dentibus mititatem diſcere homo poteſt, ſi nimirum conſideret ſe pauciores, quàm animalia bruta dentes habere caninos; Do-

cti

cti auctoris verba huc noſtram mentem vocant: *Animantibus plures dentes caninos conceſſit natura: hominibus verò duos tantùm: vt oſtendat,* MITE SE ANIMAL *effingere, & manſuetum, non efferum.* Plures quàm bruta ſe habere caninos dentes indicat, qui brutales mores circumfert, & ſæuitie bruta ipſa ſuperat.

Dentibus, qui intra labiorum clauſtra continentur, religioſi ſolent comparari, qui vt ſint quod eſſe dicuntur, intra ſtatos ſe continent limites; & quodam diſciplinæ vallo obſepiuntur. Nec ab re eſt, quod vallum iſtuc non oſſeum, ſed carneum, ac molle ſit, vt diſceremus non vi, coactaque cuſtodia cohiberi; quos nimirum Dei amor corripit, violenta coërcitione non indigent.

A dentium etiam natura, & vſu 156
religioſi viri notam habemus, vt formam religioſæ vitæ dentes offerant, dum offerunt ſe. Placet alie-

nis

nis verbis rem non alienam exhibere. DENTES, inquit pius ille auctor, ſunt candidi, firmi, & quamuis è carne naſcantur, carnem tamen, & pellem non habent, nihil intra ſe ferre poſſunt, ſed ſtatim, ſi quid hæſit cibi dentiſcalpio expellendum eſt, eorum munus eſt mandere, & cibum conficere in omnes corporis partes diſtribuendum. Hæc omnia in ECCLESIASTICIS, & pijs viris eſſe debent, candidiores enim eſſe cæteris omnibus debent caſtitatis, & pudicitiæ candore, fortiores non enſe, & clypeo vt milites, ſed heroica quadam animi fortitudine ad aduerſitates tolerandas, & tentationibus reſiſtendum. Carne tegi non debent, ſed omni carnali amore carere, ita vt illis verè dici poſſit illud Pauli: Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu. Pelle etiam veſtiri non debent, ideſt humanos fauores ambire, imò ipſi cæteris fauere debent. Nihil exter-

num

num intra ſe ferant, ſed quicquid diuiſionis, aut ſcandali cauſa eſſe poteſt, ſtatim Diuino amore tanquam dentiſcalpio tollant. Mandere etiam debent, & cibum cibus myſtici Eccleſiæ corporis membris conficere, quia eorum munus eſt omnibus cœleſti doctrinæ alimenta ſuppeditare. Aptè omnia, & cohærenter. Igitur perfectæ vitæ magiſtros dentes habemus, qui docent etiam cum tacent. Dentes ſi quis ad hunc modum referret ſuos, non facilè morderi aliorum detractione poſſet.

Sed alia monita religioſis viris dentes exhibent, dum inferiores ſuperioribus ſe aptant, idem in religioſis familijs præſtandum indicant, in quibus & qui imperant, & qui parent ita inter ſe aptari debent, vt vnuſquiſque ſe alter alteri accommodet, & velut inter ſe certent, quî aptius alter alteri ſe aptet, cum in totius corporis damnum ſit iturum, ſi aliter fiat. Aptè

alius

alius auctor: DENTES ſuperiores ad inferiores reuertuntur, & ſibi inuicem mutuo coaptantur. Sic inter RELIGIOSOS, ſuperiores debent redire ad inferiores per compaſſionem, & humilitatem, & per charitatem. Et inferiores debent coaptare ſe ſuperioribus, reuerendo, & obediendo. Vel quia ſola maxilla inferior in homine mouetur, debent inferiores cum offenderunt, redire ad ſuos ſuperiores pœnitendo, & veniam humiliter petendo, & ſuperiores inferioribus ſe debent coaptare miſericorditer recipiendo, vel inferiorum infirmitatibus diſcretè condeſcendendo; Diceres religionum doctores dentes eſſe, religioſos dum referunt; docere omnes videntur, dum videntur.

***

CAPVT XXVI.

Linguæ locus locum ſalubribus monitis facit.

Lingua clauſa velut in loco carceris. 157

Lingua velut *fera* in cauea oris recluſa.

In vna *lingua* multa *venena* latent. 158

Lingua clauſa tanquam res ſacra.

Gloriæ nomine lingua cur circumſcripta. 159

Perſtricti qui *lingua*, qua Chriſti corpus excipiunt impuris, noxijſque inficiunt *verbis*.

Lingua quâ peccata dilui debent, delinquere quàm ſit graue.

Loquuturus in conſilium alios *ſenſus* aduocet. 160

Lingua obtemperare debet *rationi*.

Lingua in vdo, quia facilè labitur. 161

Lingua vinculis de corde aptis gubernanda.

Linguæ frænum neceſſarium vt ſit, 162

Diaboli vehiculum *lingua* ſine fræno.

Lingua balneo iuncta, quia deferre ſecum *baptiſmum* debet. 163

Lingua cordi ligata quid innuat.

157 LOqui de lingua debemus, qua & loquimur, loquutionis materia ſit, quæ eſt inſtrumentum. Multa de ipſa poſſemus in medium proferre, omnia tamen in pauca contrahemus, vt detur & reliquis ſuus locus, neue ſtatim ſermone peccemus, qui in remedium lapſus hæc afferebamus, aut etiam vt lapſus anteuerteremus.

In primis quanta myſteria nobis aperiuntur, ſi linguam clauſam eſſe conſideremus, expendamuſque huius rei cauſas. In aperto omnia ferè membra ſint, lingua quodam

veluti

veluti carcere clauditur, & labiorum, dentiumque muris munitur, vt ſtatim ad eius cuſtodiam vocaremur. Diceres carceri traditam, quia nimis ſæua eſt, nimis crudelis. Opportunè Sanctus Bernardinus Senenſis: *Lingua clauſa, & quaſi* IN LOCO CARCERIS *poſita eſt, circundatur enim, atque munitur duobus muris, videlicet à dentibus qui ſunt quaſi murus, & à labijs ignei coloris, qui ſunt quaſi antemurale linguæ.* Tàm cauta linguæ cuſtodia indicat, quàm timenda linguæ feritas ſit. Addit multis interiectis: *Lingua ab ipſa natura propter ſuam feritatem, quaſi quidam crudelis, & ſtultus* IN CARCERE ORIS *tàm arctè recluſa eſt.* Caueis ſolent feræ contineri, ne obuijs noceant; oris quadam cauea concluſa, & lingua tanquam ſæuiſſima fera eſt; de illa ita ſcribit Sanctus Petrus Damianus: *Omnia* FERARVM *genera in lingua reperiuntur*; parum eſt vnam feram referre, refert om-

Q nes,

nes, & mitis ſerpentium ſæuities eſt, ſi linguæ feritati comparetur.

158 Aſpides, viperæ, ſerpenteſque vno veneni genere nos inficiunt, & perimunt; in vna lingua multa ſunt venena timenda. Hinc illud Sancti Gregorij Nazianzeni in cautionem:

At rurſum in lingua ſita ſunt permulta VENENA,
Dimidium vitij nam cita LINGVA *tenet*.

Plerumque ab vno qui ſe linguæ veneno tuetur, alterius damna ſentit, & qui ſæuientis vi non percutitur, blandientis, adulantiſque virus experitur, licet hîc blandities omnis ſit maximè ſæua, quia maximè nocens.

Quid ſi clauſam dicamus linguam tanquam rem quandam valdè pretioſam, & ſanctam? ſolent quæ ſunt pretioſa ab omnium conſpectu ſubmoueri, vt non facilè cuiuis exponantur, ita & lingua, tàm cautè clauditur, vt hinc eius nobili-

bilitas, pretium, atque etiam ſanctitas colligeretur. Præiuit Sanctus Bernardinus Senenſis, qui inquirens, cur clauſa, minimèque expoſita lingua ſit, ait: *Propter* SANCTITATEM, *res ſiquidem pretioſa diligenter claudi, & cuſtodiri ſolet*. *Magna profectò eſt* PRETIOSITAS HVMANÆ LINGVÆ, *cùm in humano corpore humanæ rationis ſit inſtrumentum*. Linguæ ſuæ dignitatem, ac ſanctitatem ignorant, qui eam fędis ſermonibus conſpurcant, & impuris collutulant verbis.

In Diuinis litteris gloriæ nomen 159
cum lingua cohæret, certè pro illo, quod in Pſalmo quintodecimo habemus: *Exultauit lingua mea,* Hebræus fons habet: *exultauit* GLORIA *mea*; vt ab harum verſionum nexu colligeremus, hominis gloriam, hominis linguam eſſe. *Fortaſſe*, inquit Agellius noſter, *ideo* GLORIA LINGVA VOCATVR, *quia per eam Deum glorificamus, quaſi hoc munus illius proprium eſt Deum glorificare*,

& illum efferre, qui eam fecit.

Quòd ſi linguam expendamus vt in iſto gratiæ tempore ſuum circa Sacramenta exercet munus, quid ſanctius ipſa poteſt reperiri! Lingua Sacramenta perficiuntur, quibus aut vitæ ſpiritali homo redditur, aut redditus copioſiore gratiæ munere cumulatur. Excipiendo denique Euchariſtiæ Sacramento deſtinata lingua eſt; quæ res ita linguæ ſanctitatem probat, vt ſimul etiam doceat, quàm ſolicitè ab omni impuritate cuſtodienda ſit. *Cogita*, inquit auctor ab ore aureo de lingua loquens, *apud te hoc eſſe membrum, per quod cum Deo colloquimur;* HOC EST MEMBRVM, *per quod ſumma veneratione dignum Sacrificium ſuſcipimus: ſciunt fideles quod dicitur; & ideo oportet id eſſe liberum ab omni accuſatione, maledicto, verbo obſcœno, & calumnia*. Puritatis auctorem quæ tangit impuris non debet verbis infici. Iſtuc idem vrget Sanctus Bernardinus Senen-

nenſis: *Data eſt*, inquit, *homini* LINGVA, VT POSSIT PER CONFESSIONEM PVRGARE PECCATA, ET ASSVMERE SANCTISSIMVM SACRAMENTVM. *O quantum ſacrilegium putaretur, & eſſet cum quis in calice, in quo ſumitur Chriſti ſanguis, & corpus, putridum lutum poneret, & immundum. Quàm grauiter igitur peccat, qui linguam ſuam, in qua Chriſti corpus aſſumit, tot mendacijs, detractionibus, murmurationibus, blaſphemijs, & ſimilibus iniquitatibus conquinat!* Quam eſt indecens, vt & membro peccata contrahantur, per quod poterant contracta deleri? quàm à ratione eſt alienum, vt lingua ad tam eximiam dignitatem euecta, qua auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum excipit, eò demittat ſe, vt ſermonum impuritate fœdiorem ſe omni cloaca reddat? Linguæ cùm ſit, cordi in pœnitentiæ tribunali ſeruire non debet ipſa committere pœnitenda. Cadunt hîc optimè, quæ habet Sanctus Petrus

Damianus : *Conſideremus*, inquit, *fratres chariſſimi, quàm graue ſit in* LINGVA DELINQVERE, *quæ compuncti, & amari cordis interpres pro noſtris delictis efficaciter conſueuit orare; & eam vaniſſimæ loquacitatis vitio ream, atque obnoxiam diuino conſpectui reddere, quæ nimirum in ſuæ munditiæ puritate perſiſtens, noſtris reatibus poterat veniam obtinere;* graue eſt, vt ita fiat, quæ pro reatibus noſtris debet in Dei tribunali pro nobis aduocati munus exercere.

160 Nec illud abs re factum, vt lingua in propinquo haberet ſenſuum omnium organa, oculos, aures, ac nares, quò nimirum hac vicinitate natura doceret, non *prius in vocem debere* LINGVAM *prorumpere*, vt ille ait, *quam* ADHIBITIS IN CONSILIVM VICINIS SENSIBVS, *præcipuè auribus, atque oculis, quibus inter corporis ſenſus principatus tribuitur*. Ex quo fit, vt malè lingua vtantur, qui prius quàm viderint, aut audierint loquuntur. Rem eandem

dem feſtiuè tetigit Poëta Italus Italica Lira dum cecinit:

Sopra vna LINGVA *il Ciel poſe*
due OCCHI;
Acciò non l'adopriam qual ciechi,
e ſciocchi.

Linguam magna ſolicitudine cuſtodiendam locus ipſe, in quo lingua eſt ſita hominem docet; in medio cordis, & cerebri eam natura locauit, vt à corde non diſcreparet, obtemperaret rationi. Hinc illud illius: *Quod in confinio cordis, & cerebri ſitam eſſe natura voluit linguam humanæ mentis interpretem, an non euidenter docuit eam non oportere diſcrepare à corde, ſed* OBTEMPERANTEM ESSE RATIONI, *cui ſubiecta eſt, & conſulendas eſſe interiores animæ vires, intellectum, ſeu rationem, ac memoriam, quibus ſedes, & officinæ ſunt in cerebro.* Vnde præpoſterè illi faciunt, qui prius linguam laxant in verba, quàm animo perpenderint, quid ſit illud, de quo velint loqui.

161 Loci præterea qualitas, in quo reſidet lingua, locum alijs monitis facit. In vdo lingua eſt, vt vel hinc conijcias quàm facilè ſit lingua labi. Benè Vgo Victorinus: *Lingua ſedet in vdo, & facilè labitur*; & ante illum Sanctus Auguſtinus, *Lingua in vdo poſita eſt, facilè in lubrico labitur*. Lubrica eſt lingua, quæ in lubrico eſt, hinc illud Sancti Thomæ de lingua loquentis: *Eſt*, inquit, *lingua membrum* LABILE, *&* LVBRICVM, *quia conſiſtit in* HVMIDO. Ne igitur ſuæ quis linguæ fidat, linguæ locum cogitet.

Huic linguæ labilitati occurrendum ſolicitè eſt, frænum illi inijcere debemus. Scitè Sanctus Columbanus:

Lingua ſuos habeat FRÆNOS *cum*
corde ligatos.

Huc facit quod Agellius habet: *Lingua autem debere aiunt non eſſe liberam, nec vagam, ſed* VINCVLIS *de pectore, imò & de corde, aptis mo-*

ueri, & quaſi gubernari: alioquin facilè labetur, & in præcipitia loquentem trahet.

162 Linguæ frænum neceſſarium natura ipſa docuit, quæ membranula quadam, quæ frænum vocatur, linguam cum mento iungit, & veluti ligat, vt ſtatim fræno cohibendam linguam diſceremus. *Idcircò enim*, verba ſunt Sancti Gregorij Nyſſeni, *& tenuis illa membranula, quæ cum ipſa lingua mentum inferius deuincit*, FRÆNVM *dicitur, ne ineptè loquatur, & inconcinnè*, quin nec nimis liberè, & effusè excurreret.

Qui linguam fræno proximam fecit linguæ frænum indicauit admouendum alioquin non inſidebit illi Deus, ſed qui effrænam linguam amat, aut etiam facit diabolus. *Regius*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *quidam* EQVVS EST LINGVA NOSTRA, *ſi ergo ei frænum immiſeris, aſcendet in eum Rex, & quieſcet in eo, ſi autem nullo* FRÆNO

domueris, diabolo eum vehiculum feciſti; tanti refert linguam frænum ferre, Deum ſeſſorem habebit, ſi habuerit diabolum, horrendum dictu! ſi fræno caruerit.

163 Præterea quòd in vdo ſemper ſit lingua, videtur indicare, loquentis eſſe pura emittere verba, aut ita eſſe facile in loquutione infici, vt balneo ſemper lingua indigeat ſermonis officio deſtinata. Pulchrè ille: *In vdo ſemper lingua eſt, vt ſicut habet quo* SEMPER ABLVATVR, *ſic loquuturus ea verba proferat, quæ* BAPTISMALEM, *vt ita loquar, innocentiam habeant.* Defert ſecum baptiſmum ſuum lingua, quo tingi ſæpè poteſt, licet alioquin alius baptiſmus nequeat iterari.

Denique linguam Deus fabricauit, quæ cum corde ligaretur, vt verborum fuſu à corde non diſcreparet. Benè rem verſat Sanctus Bernardinus Senenſis, dum ait: *Cum fecerit homini Deus* LINGVAM CORDI LIGATÁM, *atque coniunctam:*

per

per hoc manifeſtè indicare voluit nobis, quod non aliud loquendum eſt ore, quàm ſit radicatum in corde. Mendacium à nobis exularet, ſi hunc linguæ, & cordis nexum ſeriò cogitaremus. Mendacijs linguam ne laxemus, cordi, vt ita loquar, illigetur, ipſam cum corde à natura ligatam.

CAPVT XXVII.

Linguæ motus expenditur, & varia ex lingua eliciuntur.

Linguæ velocitas animi *conceptibus* exprimendis illam eſſe natam indicat. 164

Lingua, quæ in motu non fatigatur nos docet, ne in bonis *operibus laſſitudine* nos ſinamus corripi.

Contra *linguam* quæ tam facilè mouetur fixus quiſque ſit. 165

 Lin-

Lingua extra *prudentiæ* regulas *ſordes* contrahit.

Lingua velut *plectrum* modulatè ſonet.

Varia *muſica* inſtrumenta vna *lingua* vt referat. 166

Piſcem *remoram lingua* repræſentat.

Linguæ cithara ad diuinæ legis ſonum temperetur.

Linguæ motus *horologio* comparatus. 167

Linguæ *horologium* prudentiæ *ponderibus* non careat.

Mens, & ratio huius *horologij* rector.

Fæces foras emittit animus perturbatus, vt *mare* algas ad littus.

Lingua tamquam *gladius* ad defenſionis veritatem mouenda. 168

Aborſum in loquendo ne quis faciat diuina *gratia obſtetricante* indiget.

Poſt linguæ ſitum, & motus 164
linguæ expendendus eſt, poteſt enim quemlibet ad ſublimes ſenſus promouere, & mentem dirigere, vt ritè linguam ipſam dirigat.

Quàm velox linguæ motus eſt, quàm multa exigua temporis momento expromit, in Cœlum fertur, in ima ſtatim deſcendit, totum vniuerſum exiguum illius curſui ſpatium eſt; hac motus velocitate indicat, vt ille ait, ANIMI CONCEPTIBVS EXPRIMENDIS datam, cum animi motus lingua ſequatur, nec minus liberè lingua excurrat, quàm mens.

Mouetur citiſſimè lingua, ſed quod mireris, nunquam motu laſſatur, nunquam fatigatur in excurſu. Hinc illud Doctoris Angelici: *Lingua* NON ITA FATIGATVR *ſicut aliud membrum*; in qua re nos docet, ne in Dei obſequio fatigemur, vt deſiſtamus. Peritè ille, & opportunè: *Lingua licet diù mo-*

ueatur, non laſſatur tamen. Habes in ea, quod imiteris, in bonis operibus te ſemper exerce, nec LASSITVDINE, *quæ à deſidia eſt, corripi te ſinas.* Nemo linguæ ſuæ cedat; mollis licet ſit, dum tamen de labore agitur, durat, & difficilè vincitur.

165 Præterea velocitas iſta linguæ, iſta labilitas hoc clamat, vt fixi contra illam ſtemus. Feſtiuè Sanctus Auguſtinus: *Quantò lingua citius, & facilius mouetur, tantò tu aduerſus illam* FIXVS ESTO. Et in illius cuſtodia firmior ſta; rapiet te extra te; ſi tu linguæ curſum non coërcueris. Fluuius ſi extra ſuos limites ſinatur excurrere, ad ſe tandem inquinatus redit, amiſſa, qua gaudebat, puritate. In lingua idem accidit, ſi extra prudentiæ, modeſtiæ, pietatiſque leges ſinatur ferri, ſordidatur ipſa, & quod eſt maius animum ipſum inficit, & conſpurcat; nam vt ait Beatus Laurentius Iuſtinianus: *Citò* LVTVM COLLIGIT *animus ſuperflui-*

fluitate verborum, qui non tam facilè impuritatem contraheret, ſi contractior in loquendo lingua eſſet.

Moueatur lingua, ſed quadam harmoniæ lege, ne abſonos, vt ita loquar, emittat ſonos. Plectrum referre debet; hoc eam titulo donat Sanctus Ambroſius: *Eſt*, inquit, *lingua velut* PLECTRVM *loquentis, & quædam edentis manus, quæ defluentem cibum dentibus ſuggerit, & miniſtrat.* Et Piſides in opificio mundi:

Linguam relaxat, quo ſonos contorqueat
Orationis garruli vt PLECTRVM *ſoni.*

Hac eadem mente Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Lingua diuinæ melodiæ* PLECTRVM *affecta*. Nihil igitur non harmonicum ſonet, nihil non rectè modulatum. *Plectrum*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *ſit nobis lingua, quæ nihil iniucundum, ſed* NVMEROSVM, ET MO-

MODVLATVM *dicat, cùm ea qua par eſt cogitatione, & ad Deum accedentes, & rogantes, & orantes, pro inimicis primùm fides pulſemus: ita enim pro nobis quoque ipſi exaudiemur.*

166 Vnum eſt linguæ plectrum, & tamen varia muſicæ inſtrumenta vna complectitur: *Hæc,* inquit ille, *ad bellum* TVBA *eſt, aut cornu, eadem receptui canit cum libet, ad hilaritatem* TIBIA *eſt, ad voluptatem* CITHARA, *eadem cum vult lugubre canit.* Adeo exigua, & tam magna poteſt; *Miramur,* ab eodem calamo res eſt, *piſcem* REMORAM *corpuſculo puſillo nauim ingentem plenis velis citatam repente ſiſtere;* hoc à multis traditum, creditum à multis eſt, licet alij hoc negauerint; vt vt ſit; *& non mirabimur haud ita multò maiorem* REMORA, *tot hominum millia quò lubitum eſt vocare, reuocare, concitare, ſopire?* Habes hinc nihil adeo exiguum, à quo exſpectari non magna bona poſſint, aut non ingentia mala timeri.

Mo-

Moueatur lingua, non abſonè, ſed harmonicè, cytharæ eam comparauit Sanctus Ephræm, quæ diuina pulſetur manu; vt harmonicum, gratumque efferat ſonum. Hinc illud Sancti Ephræmi Syri Deum ſuum alloquentis: *Pulſa Domine* CITHARAM LINGVÆ MEÆ; aures obtundet, auditorum facilè aures offendet, ſi hac manu non pulſetur. Cithara ad harmonicos numeros minimè temperata abſonos ſonos auribus offert, & rupta conſonantia aures exaſperat, ita & lingua niſi ad diuinæ legis ſonum temperetur.

Fuit qui linguæ motum ei com- 167
poſuit, qui ab horologio fit, dum horas pulſat, ab exſtimo enim illo motu arguitur, non ritè rotæ, quæ intus latent, voluantur; idem hîc fit, à linguæ motu, à verbis, quæ illa emittit foras, deprehenditur, num quæ intus deliteſcunt rectè munus obeant ſuum. Aduocari huc poſſunt, quæ peritus auctor habet

in

in hanc rem: *Vnuſquiſq; in ſermone oſtendit, quod intrinſecus latet. Si* HOROLOGIVM, *rotas, & artificium intrinſecus rectè compoſitum habet, & ordinatum cymbalum extra rectè, ordinatèque ſonat, & è contra. Similiter homo in verbis compoſitis, & proximorum ædificatione plenis, & laudibus Dei ornatis, quod intus latet, oſtendit. At verò quando verba incompoſita loquitur, ſignum eſt conſcientiam, & quæ intus latet perturbatam eſſe.* Vt ritè horologium horas ſonet, maximi refert, iuſta illi appendi pondera; idem in ſermone accidit, prudentiæ, diſcretioniſque ponderibus loquuturus ſi careat, verba vix, aut ne vix quidem emittet, digna quæ numerentur, aut quæ à mente rectè compoſita, & ad horologij cuiuſdam regulam facta exiſſe credantur. Præterea vt iuſtè horas horologium indicet, & notet, ſolicito indiget rectore, hic ſi muneri deſit ſuo, negligentiæ ſigna, & nota in horis extra

horam

horam ſuam ſignificatis apparebũt. Idem in linguæ horologio requiritur, rectoris munus mens, & ratio exercet. Linguæ motum ordinare hic debet, vt nihil extra ſonet, quod iuſtitiæ, æquitatis, & modeſtiæ regulas excedat. Animus inordinatus, & qui extra has regulas fertur, ægrè ad illas linguæ horologium coget.

Vniuersè ne lingua delinquat, in ſui muneris exercitio animus tanquam rector peccare non debet. Fæces emittit lingua ſi perturbatus eam animus regat. Benè ille: *Pacatum, & tranquillum animum indicet verbis, perturbatum, & inquietum ſilentio premat, ne conſcientiæ* FÆCES *foras egerat cum ſui, & aliorum iniuria, nam multa peccat ore animus perturbatus.* Mare videtur loquens referre, illud æſtuans, & fluctibus actum ad littus algam, & ſimilia euomit, & iſte leuia, atque etiam noxia emittit, ſi paſſionibus cieatur.

De-

168 Denique mouetur lingua, ſed tanquam gladius, vt ſtatim qui loquitur prodat, ſe pro veritate, pro fide pugnare paratum. Pulchrè ſcitus ille auctor: *Lingua*, inquit, *eſt ad ſimilitudinem gladij, mouetur tanquam gladius, & hoc eſt vt ſit ad* DEFENSIONEM VERITATIS, *ad expugnationem erroris, hinc illud Iſaiæ, poſuit os meum Dominus quaſi gladium acutum*. Inuertit ordinem qui hoc gladio vtitur, vt oppugnet veritatem, errorem defendat, & obuios quoſque ferit, quin & non obuios.

Finio, & vtili monito rem obſigno. Verborum mater lingua verba parturiat, ſed tanquam obſtetrix adſit Dei gratia, alioquin facilè partus degenerat in abortum. Benè bonus ille auctor: *Labiorum apertio* OBSTETRICANTE INDIGET GRATIA, *ne faciat verborum* ABORTVM. Proh quot informes & videmus, & audimus verborum abortus, quia ſuperæ gratiæ opem, manumque reijciunt, qui loquuntur,

tur, adeoque non aduocant hanc obſtetricem, vt repellant, & loquutione ipſa, & liberiore verborum fuſu in illam arietent.

CAPVT XXVIII.

Linguæ ager vt excolendus, vtilium monitorum fruges excultus vt exhibeat.

Linguæ ager niſi excolatur ſpinas, & tribulos germinat. 169

Linguæ mollities dura, & aſpera *verba* vitanda docet.

Tota carnea ſine oſſe *lingua* clamat cum benignitate homini *loquendum*.

Sermo leuiter volat, ſed grauiter vulnerat, & violat charitatem.

Sermo cum ratione iungendus. 170

Lingua ſine vllo *ſapore* quid doceat.

Lin-

Linguæ varia munera ad varia nos vocat opera.

Linguæ ſalina nullum ſpernendum docet. 171

Linguæ color charitatem, & amorem ſpirare noſtros ſermones debere indicat.

Lingua equis igneo feruore correptis pariata.

Rubeus linguæ color clamat, vt quis verecundetur *verba* inhoneſta proferre. 172

Linguæ ſanguineus *color* ad effundendum in fidei teſtatione ſanguinem nos inuitat.

Rubens *lingua* ad *peccatorum* confeſſionem, ruboremque nos allicit.

Purpureus linguæ color regiam mentem à nobis exigit.

169 FVit qui linguam agro compoſuit, qui excultus fructus exhibet, neglectus inutilia, & noxia profert. Hoc Gerardus Leodienſis voluit, cum dixit: *Magnus*

AGER

AGER EST LINGVA, *qui niſi excultus per multam examinationem fuerit, ſpinas, & tribulos germinabit.* Calami aratro vti volo vt colam, & vtilia monita ſciſſus producat.

Cur molli veſtita carne lingua ſit Georgius Piſides explicauit cum dixit:

Et SPONGIOSA CARNE *linguam contegit;*
Nam pelle molli præditam eſſe oportuit,
Refractionem ad eſculentorũ omniũ,
Atque vt meatus apprehendant commodè,
Fungoſa per quos laxitas capiẽs cibos,
Dijudicat pulchrè liquores quoslibet.

Sed aliud ab hac mollitie, & teneritudine colligi poteſt, inſtruimur ſcilicet, non aſperè, durèque loquendum, ſed cum ſumma benignitate. Pulchrè ille: *Lingua tota eſt* MOLLIS, *ac tenera vt qui loquitur à ſua lingua doceatur dura, & aſpera verba vitare.* Hinc eſt tota carnea lingua, & caret oſſibus,

ne

ne duritie nimia auditorum aures offendat ſermo, quem profert. Commodè rem verſat Sanctus Bernardinus Senenſis: *Lingua,* inquit, *eſt carnea tantùm,* ABSQVE OSSE, *vt apertè clareſcat, quod homo loqui debet cum tractabilitate, & humilitate, eſt delicata, vt inde inſtruatur homo, quod loqui debet* CVM BENIGNITATE. Quid refert, ſi oſſe careat lingua, oſſea, & dura ſint verba, quæ format? Apud noſtros de lingua, quæ ſine oſſe, dictum illud circumfertur: *La lingua non hà* OSSO, *e taglia minuto, e* GROSSO; & aliud: *La lingua non hà* OSSO, *e fà romper il* DOSSO. Tenera licet ſit lingua, & leuis ſermo, quem format, damna tamen non facilè reparanda timenda ſunt, niſi probè illa cuſtodiatur, benè iſte formetur. Hîc optimè facit, quod habet mellifluus Doctor: *Et dicimus: Leuis res ſermo, tenera, mollis, & exigua* CARO LINGVA *hominis: quis ſapiens magnipendat? Leuis quidem*

res ſermo, quia LEVITER VOLAT, SED GRAVITER VVLNERAT: *leuiter tranſit, ſed grauiter vrit: leuiter penetrat animum, ſed non leuiter exit: profertur leuiter, ſed non leuiter reuocatur: facilè volat, atque ideo facilè* VIOLAT CHARITATEM. Mollis eſt lingua, ſed peccantes duris adijcit pœnis. Leuis ſermo eſt, ſed non leuia infert damna, niſi ritè proferatur.

Anatomicæ porrò artis periti de 170
lingua hoc perhibent, ex ipſa duas venas exire, quarum vna ad cor tendit, alia ad cerebrum, vt natura hinc doceat, inquit Faber, loquentis eſſe ſermonem ſuum cum ratione, ac corde coniungere; ſcilicet naturæ ille vocem non audit, qui verba à ratione alienas emittit, & mendacia expromit, quibus linguam à corde omninò denectit, quæ inter ſe natura ligauit.

Sed alia adducenda de lingua, è lingua alia educenda ſunt. Hoc in illa miri, quòd cum nullius ipſa

ſa ſit ſaporis ſapores omnes diſcernit, imò omnes iudicat, quia omnium ipſa eſt expers; quo docemur eum, qui de alijs iudicium fert, ab omni omninò affectu debere eſſe immunem, alioquin ſi plus in vnum pendet, quàm in alium, tanquam imbutus aliquo ſapore, in iudicio ferendo aberrabit. Niſi quod hæc omnis ſaporis carentia in lingua loquentem docet, à Deo ſapientiam omnem eſſe. Hinc illud illius: *Facta eſt* INSIPIDA, *vt cuiuslibet ſaporis ſit facilè ſusceptiua, vt hinc diſcas, quod ſapientiam loquendi ex ſe homo non habet, ſed à Deo*. Inſipidus ex ſe ipſo eſt, imò & inſipiens, & eò magis, quò magis attribuit ſibi, quod à ſe non habet.

Vna lingua eſt, ſed non vnum exercet munus, quo homo docetur, vt pluribus ſeruiat, plura in Dei ſui gloriam, & proximi auxilium præſtet. *Quid lingua*, inquit Salianus? *ità ad exprimendos omnes animorum ſenſus, omninòque ad loquendum data eſt, vt illi vni muneri ſeruire videatur; at res habet longè ſecus, ita enim locutioni ſeruit, vt nihilominus ad varios guſtus dignoſcendos valeat, ad comedendum, ad deglutiendum, ad expuendum, ad purgandum palatum*, ALIAQVE ID GENVS MINISTERIA *non pauca, quorum ſine lingua nullum ritè conficias*. Benè quæ ſermoni præcipuè deſtinata alia etiam munera obit, vt qui loquitur in ſermone non ſiſtat, ſed ad varia opera conficienda ſe aptet.

Varia exercet munera lingua, in 171
quibus ſaliua indiget, quæ alioquin tanquam quid ſuperfluum expuitur; vt hinc quoque diuinam ſapientiam admireris, quæ rem adeo vilem, exilemque ad nobiliſſimos vſus transfert. Rem ab eodem auctore accipe: *Superfluam fortaſſe* SALIVAM *diceres, & ex cerebro, aut pectore inutiliter redundantem; caue dixeris ſuperfluam, cùm illa*

illa ad impiorum cineres ad memoriam deſpuendam valeat, & ſine ea neque comedere, neque loqui poſſis, quibus nihil eſt in vita magis neceſſarium, rectius dixeris tantam eſſe Diuinam Sapientiam, vt RES NIHIL *ad laudatiſſimos vſus conuertat.* Hoc ad homines etiam porrigas; debilibus, vilibuſque, & idiotis hominibus ſæpè Deus vtitur vt magna, vt mira præſtet hinc nullus contemni debeat, nemo de ſua imbecillitate deſperare, ſi Deo nitatur.

Et linguæ color menti venuſtati poteſt deſeruire. Linguam ſpecta, & à lingua diſces qualia emittere debeas verba. Rubea lingua eſt, & colore purpureo, quo veſtitur, indicat, in charitatis ſinu formanda verba eſſe, quæ foras mittuntur. Benè ſcitus ille auctor: *Ipſe linguæ* COLOR *qualia eſſe verba debeant tacitè inclamat; vt nimirum* CHARITATEM *ſpirent, &* AMOREM; & nihil in illis cadaueroſum ſit, nihil

nihil fœtidum, & emortuum. Iſtuc idem colligebat Sanctus Bernardinus Senenſis ex eo, quod linguæ color igneus eſſe videtur: *Lingua, inquit, eſt* COLORE IGNEA, *vt myſticè demonſtretur, quod homo loqui debet cum* CHARITATE, *de charitate, propter charitatem.* Igneam ſe lingua probabit, imò & ignem, ſi verba proferat, quæ ſcintillas quaſdam referant. Ignea lingua erit, ſi charitatis ignis cor corripiat. Præiuit in exemplum B. Andræas Apoſtolus, de quo hæc in eius laudem habet mellifluus Doctor S. Bernardus: *Videns,* inquit, *paratam eminus crucem, nequaquam facies eius expalluit; ex abundantia cordis os locutum eſt, &* CHARITAS *quæ feruebat in corde, quaſi* SCINTILLAS *quaſdam ardentiſſimas emittebat in voces.* Scintillas nos non emittimus, quia non ardemus, intus ignei adeo non ſumus, vt noxio laboremus frigore, glacie, geluque ſimus refecti.

Fuit qui linguam equis igneo quodam feruore correptis, ad curſumque paratis pariauit, quam tamen prudentia, & ratio coërceat. Poſſum alienis verbis meam mentem exprimere: Vt equi generoſi, & IGNEO ARDORE exultantes, ſtant ad carceres moræ impatientiſſimi, & circi fores aperiri cupiunt, vt euolent in medium ſpatium glorioſi,& metam circumeant: Sic lingua ſemper eſſe videtur in ſtatione, vt in orationis veluti curriculum introeat. Sed profectò exire non debet, niſi Ratio mappam inijciat, & Prudentia certaminis honorata præſes id patiatur.

172 Præterea linguæ rubeus color, qui verecundiæ eſt, docet non eſſe emittenda verba, ob quæ verecundia corripiamur. *Lingua*, inquit ſcitus ille auctor, *eſt in corio* RVBICVNDA, *vt ſcilicet* VERECVNDETVR *proferre verba inhoneſta, & indecentia*; alioquin quid refert, vere-

verecundiæ, vt ita loquar, habitu veſtitam linguam eſſe, ſi verecundiam omnem abiuret, & verba emittat inuerecunda, qui ea vtitur? Huc facit illud Italicæ Liræ:

Il VIRGINAL COLOR *orna la lingua*
Perche VERGOGNA *in lei mai non ſi eſtingua*.

Linguæ ſanguineus color hoc quoque tacitè docet, ſcilicet tanto animo promendam veritatem eſſe, & præſertim eam, qua fidei firmamus ſcita, vt ſimus parati, ſi ſit neceſſe, in teſtationis noſtræ fidem etiam ſanguinem fundere. Niſi hoc ad peccatorum confeſſionem, quæ ſanguini in Diuinis Litteris pariantur, transferamus, vt libenter, & promptè ſua peccata producat, qui lingua ſanguinem refert, quo peccata ſignificantur. De lingua, linguæque vſu hæc habet Chriſtus ad Sanctam Catharinam Senenſem: *Nec aduertunt infelices iſti, quod à me* LINGVA *creata*

 fuit,

fuit, vt mihi redderet laudem, & honorem, & vt homo CONFITERETVR OMNIA PECCATA *ſua, & illam exerceret in virtutibus, & in ſalutem proximorum.* Benè rubea lingua ſi peccatorum confeſſione purpurea ſit.

Quadam purpura veſtitur lingua dum rubeſcit, vt nos pudeat effundere verba, quæ regium quendam habitum non præſeferant, & ab omni verborum ſorde non abeamus, & omnem mendaciorum vilitatem vitemus. Iterum audiri productus paulo antè auctor poteſt, rem his verſibus exprimens Italica incude fuſis.

*R*EGAL MANTO *hà la lingua, e ſignorile,*
Perch' ella ſia verace in ogni detto,
E lungi ſtia dal dir chi è ſozzo, e vile.

Itaque purpureus linguæ color regiam mentem à nobis exigit, & ſupra vulgi fæcem ſermones, ac mores. Addit ſtatim.

Fù

Fù la lingua di PORPORA *veſtita*
Qual REGINA, *che dar può morte, e vita.*

Vnus linguæ color hæc omnia exhibet; ſupereſt vt quod lingua etiam tacens clamat, nos re ipſa exprimamus, quò mores noſtri cæteris fiant lingua.

CAPVT XXIX.

Vox quam vocem habeat homini erudiendo.

Vox vultum quendam vt habeat. 173

Vox, quæ dum nimis contenditur obtunditur, docet, ne quis nimium ſe *efferat*.

Quemlibet *vox* docet vt ſe ſe omnibus *aptet*, & accommodet. 174

Homo omnibus omnia fiat vt omnes *lucretur*.

Vocis varietas docet, ne *firmior*

quàm par ſit in ſuis ſenſibus homo ſit.

Cauendum ne à primo *feruore* ad noxiam *tepiditatem* quis cadat, vox exemplo ſuo indicat.

Vox interior ingrata, & noxia; ſic & *quæſtiones* quæ auditorum captum ſuperant nocent. 175

Mollior *vox* damnata, damnati molliores *mores*.

Vox vt à *mendacio* nos auocet.

Vocis formatio nullas *iniurias*, contumelias nullas timendas clamat.

Sermo inſtar nauis dirigendus, ne transfretrans *naufragium* faciat.
176

Secunda vt *ſermonis* ſit *nauigatio*, oratio præmittatur.

Præſtricti, qui in *loquutionis nauigatione* animæ merces proijciunt non vt naufragium vitent, ſed vt faciant.

ETiam vox noſtræ huic ſe tra- 173
ctationi facilè ſubijcit, cum vultum quendam referat, quandam faciem; Audio Plinium: *Vox in homine magnam* VVLTVS *habet partem; agnoſcimus eam priuſquam cernamus non aliter quàm oculis*. Vultus vocem quandam habet, & vox vultum quendam; qui totus vocalis eſt. Sed iam vocis vocem audiamus.

Quàm facilè formatur vox, quàm facilè in medium producitur, quæ tamen ſi nimis contendatur obtunditur, aut amittitur omninò. Quæ res altè inclamat, ne nimium quis efferat ſe, ne ſe perdat, & deſinat eſſe quod eſt. Peritè Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Sapientia*, inquit, *eſt noſſe, ſic tamen* VT TE NON NIMIVM EFFERAS, *nec vt idem accidat tibi, quod* VOCIBVS, *quæ prorſus amittuntur, ſi propter vſum immoderatum vltra modum contendantur*. Se quilibet intra ſe debet continere, alioquin ſi quis nimis

efferat ſe, & ſe ſupra ſe ferat, incipit eſſe ſe ipſo minor. A ſua ergo voce quiſque diſcat ſe metiri, ne nimis deprimat ſe dum nimis effert ſe.

174 Vox pro loquentis arbitrio quàm facilè variatur, aut effertur, aut ſubmittitur, aut lenis fluit, aut grauior excurrit. Tot in vno eodem homine vocis differentiæ ipſum docent, vt omnibus diſcat ſe aptare. Benè bonus ille auctor: *VOCEM quiſque ſuam pro magiſtra habere poteſt, vt ſe omnibus accommodet, & varias pro exigentia formas induat, vt* IN VOCE ACCIDIT, *quam pro libitu quiſque aut inflectit, aut frangit, aut ſubmittit, aut attenuat, aut auget, aut minuit.* Audi vocem tuam, & doctoris vocem habes. Ab vno, eodemque ore vox varia exit, aut grandior, aut acutior, aut obtuſior, aut blandior, aut auſterior. Cæteris animantibus hoc non dedit natura, vnam, ſimplicemq; emittunt vocem, vnus

homo

homo varias, vt & animantia ipſa poſſit imitari, & vnus homo alterius hominis vocem, & quod maius, vir puerum referre voce poteſt. Quid in hac re natura docet, ſeu naturæ Deus ipſe? niſi vt hinc quiſque diſcat ſe ſe alijs aptare, & ad aliorum ſe captum conformare? à voce ſua homo diſcat, varios induere mores, vt alios doceat, vt lucretur omnes.

Præterea iſta vocis varietas docet, ne firmior, quàm par ſit in ſuis ſenſibus homo ſit; cum quiſq; vocem aut mitiorem emittat, aut duriorem, & pro libitu mollior vox ſonet, aut aſperior, cur idem in ſenſibus non fiat? Quàm abeunt, qui in ſuis ſenſibus, opinionibuſq; adeo ſunt firmi, ac pertinaces, vt nolint nihil demittere, aut inflectere? De humanæ vocis varietate hæc habet Apuleius: *Vox hominis, &* TVBA *rudore toruior, &* LYRA *concentu variatior, &* TIBIA *queſtu delectabilior, &* FISTVLA *ſuſurru*

iucun-

iucundior, & BVCCINA *ſignificatu longinquior*; vna explet, quod à tot inſtrumentis obtines. Vocem in hac parte quiſque ſuam imitetur, vnus varias formas induat, & varijs ſe aptet, vt omnibus ſeruiat, omnes iuuet, lucretur omnes.

Vox quæ in cantu eleuatur, ſed paulatim remittitur, adeo vt quæ initio pſalmi elata fuerat in fine remiſſa ſit, hoc tacitè inſinuat, timendum viris, Dei obſequio addictis, ne paulatim à primo feruore in noxiam tepiditatem cadant; ad nudum ſermonem rem coërcuit Beatus Iordanus, ſed nihil impedit, quin ad mores quoque transferatur, ſic autem iſte auctor fratres ſuos alloquens loquebatur: *Videtis, chariſſimi, quod imperceptibiliter quantumcunq; altè incipiatur Pſalmus, paulatim* VOX CANTANTIVM *frangitur, & cadit, ſic quantacunque bona verba incipiamus dicere, vel ad alterutrum conferre, paulatim ex humana corruptione ad vana prolabimur,*

ſed

ſed qui bonus, & percipit hoc, debet facere ſicut Cantor in Choro, qui in locis competentibus ELEVAT VOCEM: *ſic bonus vir cauſam otioſorum aduertens, debet interponere aliqua verba, vel exempla grata, vt interrumpat nociua, eodem modo cum ex carnis corruptione paulatim non ſolùm à verbis, ſed etiam à ſolito religionis* FERVORE TEPESCIMVS *nos inuicem excitare debemus*. Quis eorum recenſeat numerum, qui nobile, ſublimeque initium ignobili, demiſſoque fine aut infecerunt, aut fædarunt?

Præterea, vt qui contentiorem quàm debeat vocem emittit, amittit, aut minuit, ſic qui maiora viribus aggreditur, ſuccumbit, nec par oneri eſt; aptare ſe ſibi quiſque debet, nec extra imbecillitatis ſuæ ſphæram ferri.

Et vt vox intentior ingrata au- 175
ribus, & noxia eſt, ita & quæſtiones, quæ auditorum captum ſuperant, nocent auditoribus, non iuuant,

iuant,

nant, opprimunt, non erigunt. Pulchrè ſanctus Gregotius Nazianzenus rem his verbis verſat: *De quibus, & quouſque diſputandum, de his ſolùm quæ ingenij noſtri modulum, atque* AVDITORIS CAPTVM NON EXCEDVNT, *ne alioqui vt* NIMIA VOCIS INTENTIO, *atque immodicus cibus, aures, & corpora labefactat, itemque ſarcinæ viribus grauiores, baiulorum humeros, ac crebriores pluuiæ terram opprimunt, ita etiam auditores quæſtionibus grauioribus, ac durioribus oppreſſi, atque confecti, priſtinas quoque vires amittunt.*

Sed & mollior vox aliud monet, aliud clamat. Vocem olim non ſine mollitiei nota molliorem formabant, quod arguit Sanctus Chryſoſtomus: *Cuiuſmodi ſunt fracto incedere greſſu,* VOCEM FORMARE MOLLIOREM: & nonnullis interiectis: *Piget nunc de* VOCE *referre, cui maximo ſtudio plurimæ deſeruiunt.* Sed mollior vita, molliores mores magis noxij, magis damnandi ſunt.

Men-

Mentior ſi non vox ipſa à mendacio nos auocat. Obſtetricis munere fungitur vox, educit in lucem, quod mens conceperat. Peritè Philo: *Mens concipit, & parturit cogitationes, quas volens parere non poteſt, donec per linguam vox eas excipiens,* OBSTETRICIS MORE *producat in lucem.* Non ergo alium ſupponere partum debet, ſed eundem excipere, ac curare, quem mens conceptum exhibuerit, alioquin parientis, parentiſque iniuria erit, ſi ſuppoſititio partu decipiatur, niſi quod hîc quiſque decipit ſe, iniurius ſibi eſt, ſi aliud ſentiat, aliud lingua obſtetricante proferat.

Ex vocis, ſermoniſque formatione monitum aliud, illudque maximè vtile poſſumus exculpere, nempè nullas iniurias, contumelias nullas, nullas detractiones timendas. Ex aëre formatur quælibet vox, & illa ipſa, quæ nos ſternit, ac deijcit; mirum ad alterius vocem ſtat corpus, & animus ſæpè cadit, certè

turba-

turbatur, concutitur, tanquam ſi ab alieno ore emiſſa contra nos vocula non vox extitiſſet, ſed iaculum. Ipſa Beatiſſima Dei Mater, erigens quandam, quæ alienæ linguæ ſæuitiem ſentiebat, hoc ei in ſolamen, in munimen obtulit, nihili facienda, quæ contra nos dicuntur, cùm in nihilum ſtatim dicta abeant, in aëremque verba conuertantur, quæ fulmina opinio noſtra putabat, & faciebat quia putabat. Finge omnium omnium ora verba euomere, quibus te vnum feriant, vix ſunt emiſſa, cum deſinunt eſſe, cur ergo tam ſumus ſola opinione noſtra imbecilles, vt vel vno aſperiore iniecto verbo decidamus, concutiamurque? fortiores nos eſſe vocis exilitas iubet, & quod eſt amplius vocis ipſius ex aëre formatæ in aërem cita conuerſio.

176 Denique qui vocem emittit, aërique volubili committit, caueat ne naufragium in aëre ſubeat; itaque ſermo dirigendus inſtar nauis. Pulchrè

chrè Sanctus Zeno: *In medio*, inquit, *aëris ſpatio ſermo transfretans naufragabit*. Parum eſt ſermonem in aëre naufragium ſubire, ſubeunt ſæpè & qui loquuntur, quin & infelicius, quàm illi, qui mare nauigant. Igitur qui loquitur, tàm cautè id præſtet, non ſecus ac ſi vndis, fluctibuſque ſe committeret.

Olim nauigium intraturi, & vela daturi ventis orationem præmittebant, vt ſecunda eſſet nauigatio. O idem fieret in hac ſermonis nauigatione, ne naufragij damna non facilè reparanda ſubiremus. Orationem loquuturus ſi præmitteret, ſyrtes, & breuia vitaret, in quæ imprudens animæ ſuæ ratem agit.

Et vt definiam, in hoc quoque amentia noſtra proditur, quod dum loquutionis, vt ita loquar, mare nauigamus, ea proijcimus, perdimuſque, quæ pretioſiora in nobis ſunt. Per mare, dum quis nauigat, ſi accidat nauem fluctibus agi, vt ſubmerſionis abſit periculum, merces

ces in mare proijciuntur. Quam nos in ſermone amentes, qui protioſiores plerumque loquendo merces ex animæ naui proijcimus, non vt naufragium vitemus, ſed vt ſubeamus? Perdimus noſtra, perdimus nos liberiore linguæ vſu, dumque incautè loquimur, in cautes mentis nauem agimus. Saniora bibamus conſilia, vitemus in loquendo naufragia, vt ſeruemus noſtra, ſeruemus nos.

CAPVT XXX.

Gula quid mentis offerat ſtomacho.

Gulæ anguſtia à *ciborum* lautitijs nos auocat. 177

A *ferculorum ſumptibus* magnis nos abducit breuis delectatio, quæ guttur afficit.

Gulæ voluptas in curſu, & tranſitu. 178

Gulæ

Gulæ voluptatem, quæ mala ſequantur.

Poſt traiectum *cibum* cibos non diſcriminari ad *temperantiam* nos vrget. 179

Deſpicienda fercula, quæ ſtatim deſinunt eſſe quod ſunt.

Quàm fatuum, totum in *fercula* ferri, quæ deſtruuntur dum *eduntur*.

Stuprum guſtui minimè inferendum. 180

Palati in dijudicandis ſaporibus natura nos docet, quî aliena reſpicienda, & *iudicanda*.

A nimio *affectu* liber ſit; qui alios *iudicat*.

GVla quæ in ſtomachum cibos tranſmittit, offert quædam fercula etiam menti, quibus vtatur in gulæ ipſius vſu, ne temperantiæ excedat limites. 177

In primis occurrere gulæ voluptati Deus voluit, cum gulæ terminos ita contraxit, vt quàm citiſſimè

mè voluptatis iter conficeretur. Opportunè rem vrget Sanctus Petrus Damianus: *Suauem*, inquit, *cibum cur debeamus expetere? qui quantislibet apparetur impendijs, & antequam in os intret, nobis non ſapit: & poſtquam, flumine glutiente, traijcitur: venter, cui illapſus eſt, non diſcernit. Totius autem noſtræ voluptatis iter, cui tanta ambitione ſeruimus*, BREVISSIMA VNIVS PALMI *ſumma concluditur*. Diligentius metire, & palmo contractius iſtuc iter eſſe deprehendes. Breuitas iſta iſtius itineris clamat, ne nos longè euagemur in ferculorum lautitijs exquirendis.

Præterea breuitas gulæ à gulæ intemperantia, & ſuperfluo ciborum ſumptu auocare quoslibet debet: *Fatuum eſt*, inquit Beatus Vmbertus, SVMPTVS MAGNOS FACERE *pro breui delectatione quantum tranſitus cibi per guttur durat ſolùm durante*. Affinia ſunt quæ in hanc eandem rem habet Vgo: *Voluptas*

GVT-

GVTTVRIS, *quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & huius tam modicæ partis tam exigua delectatio quanta paratur ſollicitudine, quantam deinde moleſtiam parit*. Breuis voluptas eſt, ſed niſi coërceatut damna affert, non breui reparanda.

Parum eſt tàm paruum eſſe hoc 178
ſpatium huius voluptatis, illud adijcitur, voluptatem iſtam in curſu tantùm eſſe, in tranſitu ſitam. *Guſtus*, inquit Ioannes Euſebius, *etiam cum vorat tantùm libat voluptatem, in* TRANSITV *ſolùm eſt*. Cùm voluptas iſta ſtatim tranſeat in nobis, non debemus nos in illa ſtare; diſcamus ab illa, quales eſſe erga illam debeamus. Tranſit in nobis voluptas iſta, nec eſſet niſi tranſiret; cur nos ergo firmi in illa ſtemus? Addit productus auctor: *Ipſa, quæ in* CVRSV *eſt voluptas, niſi cum modo ſit ſtatim fatigatur. Nimirum currit, & niſi interpelletur vt reſpiret, manet languida, ſi continua*

eſt

eſt nulla eſt. Satis eſt nos fatigari cum edimus, niſi in parandis etiam cibis, in quorum eſu fatigamur, fatigemur.

Tranſit ſtatim gulæ voluptas, ſed non ea, quæ illam ſequuntur, ſi modum excedat, grauedo capitis, indigeſtio, & quod eſt grauius, *interregnum*, vt ille ait, *mentis, cuius interim dominationis vſus ceſſat, ſæpè ius.* Nec hîc malum ſiſtit, *deinde*, inquit, *morbi, dolores, tandem immatura mors, de qua neſcio plus vna mereatur iugula, an gula. Fortaſſe gladius in hoſtili manu non occidit plures, quàm calix in propria; niſi quod iſtius facinus lentum ſit, clandeſtinum ipſis, in quos ſæuit ignaris, eò iniquius, quod non impetu, ſed inſidijs inuideat.* Citò nimirum tranſit, quod delectat, diù durat quod cruciat, vt quod poſt gulæ intemperantiam patimur, eſſet frænum gulæ.

179 Voluptas ſentitur dum cibus tranſit, poſt tranſitum nec voluptatem ſentimus, nec pretioſos à non pretioſis.

tioſis, delicatos ab inſipidis diſcriminamus. Vt benè dixerit Sanctus Hieronymus: *Quicquid* POST GVLAM *non ſentitur idem tibi ſit, quòd panis, & legumina*. Fercula ſpectas cum gulam tranſierunt, nec in ciborum apparatu minus laborabis. Ab hoc te labore Deus exemit, cum fecit, vt nullum inter cibos diſcrimen ſentiretur poſt gulam.

Quis non deſpiciat fercula, quæ ſtatim deſinunt eſſe, quod ſunt? Perpensè Clemens Alexandrinus: *Opſonia*, inquit, DESPICIENTES, *vt quæ paulo poſt non ſint futura*. Deſpiciendus eſt, qui non deſpicit, ſed ſtultè deperit, quæ pereunt.

Modus quoque quo gulæ voluptates afficiunt gulam auocare ab illarum affectu nos debet. Ferculorum non ſentitur ſuauitas, niſi fercula frangantur, & deſtruantur, & deſinant eſſe quod ſunt. Integra traijciantur, & voluptatem non affricant. Qui mente integer in ea totus non feratur, quæ ſuauia

non ſunt ſi integra permaneant, nec niſi deſtruantur ſapiunt. *Magna ſtultitia*, Guigonis verba ſunt, *genu flectere his, quæ tu feceris, & animum inclinare his, quæ* DESTRVIS, *ideſt ſaporibus, & alijs ſenſibilibus*. Vide ne te deſtruant, quæ tàm auidè quæris vt deſtruas, nec quæreres niſi eſſes deſtructurus.

180 Stuprum inferendum minimè guſtui eſt, quod fit variorum ferculorum lautitijs, & condimentis, varia ciborum paratura: Clementis Alexandrini verba ſunt; *Cùm corruptus, &* CONSTVPRATVS SIT GVSTVS *miſera, & infauſta quadam condiendi arte*: quid caſtum ab illis ſperemus, qui guſtum quoque ſtupro inficiunt, & ſtupro infectum condiendorum ciborum artificio hoc in illo vitium ſeruant?

Denique quod in cibis deguſtandis accidit, accidit, & in excipienda veritate, ſano palato cibus ſuauis, & ſapidus, infirmo inſuauis eſt; ſic veritas prudentibus, & bo-

nis ſapit, diſplicet malis, & imprudentibus. Et vniuersè in rebus alienis dijudicandis multum refert, quo affectu aliena deſpiciamus, excipiamuſque. Bona putabis mala ſi alieniore animo aliena reſpicias, mala contra bona iudicabis, ſi propenſiore affectu in illum feraris quem cenſes, ac iudicas. Itaque vt rectè quempiam iudicemus, à nimio in eum affectu immunes debemus eſſe. Plerumque in ferenda de alijs, aliorumque rebus ſententia aberramus, quia affectus in aliquem, aut in aliqua ſingularis velut quidam ſapor, iudicij noſtri, liceat ita loqui, guttur inficit, vt inepti prorſus cæteris iudicandis ſimus. Verè nihil ſapere iudicandus, qui imbutus peculiari affectus ſapore alios iudicat.

CAPVT XXXI.

Pili qui mentum, & malas veſtiunt, mentem vt informent, & ſalutaribus monitis imbuant.

Barba viri ſignum, & *virtutis* indicium. 181

Pili, qui malas veſtiunt, à *ludis puerilibus* nos auocant. 182

Barba virorum *corona* vt coronis digna præſtant, qui eam geſtant.

Pili in viris præſtant, quod *partus* dolores in fœminis.

Barbæ prolixitas hominem monet, ne indignum aliquid præſtet hoc decore.

Pilorum, & *prudentiæ* nexus.

Perſtricti, qui *mentum* excolunt, negligunt *mentem*. 183

Virum laboris excitationes probent.

Naturæ leges eiurat, qui facit *manſuetudinē* refert, moribus *fera* eſt.

Quanti referat *Chriſto* hærere ſimilitudine à *barba* pilis ducta explicatur. 184

Primam qui *barbā* deponit deponat ea, quæ puerilem *ætatem* ſapiunt.

Qui *barbam* alunt *regem* referunt, regiam circumferant mentem.

181 A Capite ad mentum mentem flecto, à capillis ad pilos deſcendo, qui barbam formant, nam hi quoque hominem informant. Et in primis ſui ſexus hoc eſt melioris, fortioriſque hoc ſigno vir monetur. Benè Clemens Alexandrinus: *Hoc viri, inquit, ſignum*, BARBA *ſcilicet, per quod* VIR *apparet, & ſigno* MELIORIS NATVRÆ; vt ſigno reſpondeat, melior non natura tantùm vir eſſe debet, ſed & moribus. Barba *virtutis indicium*, dicitur à B. Petro Damiano, tanquam homini dicat, imò & indicat, vt virtute ſe virum probet.

Barbam qui manu videt, aut tangit, virilitatis ſtatim admonetur, vt in ſexu differentia virtutis di-

ſcrimen, roboriſque appareat. Lactantij hæc verba ſunt: *Iam barbæ ratio incredibile eſt, quantum conferat ad dignoſcendam corporum maturitatem vel ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris, vt videatur omninò non conſtatura fuiſſe totius corporis ratio ſi quicquam aliter eſſet effectum*. Non ergo in fœminam degeneret, non fœminea edat opera, qui viri nota barba inſignitur; alioquin arguentem habebit, quàm ad ornatum circumfert.

Barba, & lanugo, quæ genas veſtit, ætatis ita indicat diſcrimina, vt tacitè virum moneat grauiora, ac magis ſeria cogitanda, grauioribus annis onuſto. Benè remverſat Theodoretus, dum ait: *Primum lanugo in iuuenilibus malis effloreſcit, inde ſpiſſior paulo crinis integit, vt natura adiectione iſta; ætatum diſcrimen prodat, doceatque eo ornatu* NVCES RELINQVENDAS, *& ſeria capeſſenda: quia verò fæminis abunde documenti talis præbent partus labores,*

bores, hinc factum eſt, quod ſolas virorum genas BARBA CORONARI *Deus voluit*. Ætatum qui diſcrimina morum mutatione non probat, non ſeruat, ſe multis, ſe magnis diſcriminibus obijcit, cum leuia cogitare annis grauem non leue ſit. Igitur barbam qui geſtant vt CORONAM, eius monitu præſtare ea debent, quibus cæleſtis gloriæ corona debeatur. Nec illud indiſcuſſum abire debet, quod ex huius auctoris mente, idem præſtent in viro pili, quod in fæminis partus dolores, vt ab vno capite, & pilorum appareat virtus, & mollioris ſexus leuitas, qui non facilè à leuiorum rerum affectu auelli poteſt. Parturiunt in viris pili, quod parientes fæminæ vix à diris partûs cruciatibus diſcunt.

Nuda barbæ promiſſio, prolixa 182
monitio eſt, vt nihil ea indignum agat, qui illam geſtat. Hûc Lacon ille euaſit, qui vt Plutarchus in Laconicis apophtegmatis narrat in-

terrogatus, cur tam prolixam barbam geſtaret, *vt canos*, inquit, *videns, nihil ijs indignum in me admittam*; indignus hoc hominis decore eſt, & hoc ornatu, qui indignum aliquid committit; O eandem mentem circumferrent, quos extra gentilitatis tenebras natos, ſanctior vita decet, decent puriores mores! Scilicet viri boni eſt vndecunque boni aliquid diſcere, & vtilis doctrinæ ſuccum vel ex pilis elicere.

Tempus ipſum, quo prodeunt hi pili rectè docet, magnum illos habere cum prudentia nexum. Infans cum emittitur capitis iam pilos emiſit, nec incipit apparere, quin in illius capite appareant. Tardius naſcuntur pili, qui malas, qui mentum veſtiunt, nimirum cum infantiam, ac pueritiam homo poſuit maturior ætas prudentiæ pollicetur aduentum. Eximiè Clemens Alexandrinus de barbæ pilis loquens ita philoſophatur: *Hos*, in-

quit, *pilos Deus tanti facit, vt* EOS SIMVL CVM PRVDENTIA IVBEAT ADESSE HOMINIBVS: *atque adeo honeſtate delectatus, grauitatem honorauit veneranda canitie. Prudentia autem, & accuratæ, exactæque rationes, canæ intelligentia, vnà cum tempore ad ſummum ſuum vigorem perueniunt, & intenſis multæ experientiæ viribus ſenium confirmant, ac corroborant, amabilem venerandæ prudentiæ florem ad fidem iurè faciendam proferentes, ſcilicet canitiem.* Alioquin valdè importunum eſt, ſi infantiam quis, & pueritiam oſtentet moribus, conſiſtentis, firmioriſq; ætatis ſigna in mento, in malis proferens. Ineptè in malis pilos geſtat, qui malum facit, operatur malè.

Virilitatis hoc ſigno indigni illi 183
etiam ſunt, qui in eorum cultu nimij ſunt, qui mentum excolunt negligunt mentem. *Noſti complures iuuenes*, verba ſunt Senecæ, *nollem noſtri æui iuuenes ita percelli poſſe*, BARBA, *& coma nitidos, nihil*

ab illis SPERAVERIS FORTE, *nihil ſolidum*, nihilque virile in fæmineo virilis ſigni cultu. Satius eſſet vt carerent barba, quam vt toti in ea polienda, & efformanda eſſent. In hoc vellem eos Beato Macario pares, de quo Palladius in hiſtoria Lauſiaca hæc habet: *Propter ingentes* LABORIS EXERCITATIONES, *ne pili quidam menti* BARBÆ *ei enati ſunt*. Satis virum opera probabant, ac labores, non indigebat virilitatis indicio barba; iſti etſi viros pilis ſe prodant, probant fæminas nimio ſui cultu. Nec pili quidem æſtimandi, qui in pilorum nitore limites excedunt.

Mento adnaſcuntur pili in viro, vt virum ſe moribus oſtendat; ſed mirum cum malas, cum mentum pili veſtiant, immunis naſus eſt, nec totæ genæ pilis veſtiuntur; non caſu id factum, *ſed ne ſylueſtris*, vt Galenus ait, *modo, ac fera facies tota fuiſſet, haudquaquam* ANIMALI MANSVETO,

neque

neque politico conueniens; Vt naturæ eiuret leges, qui genis lenitatem ſpondet, & feram ſæuitie refert, feris crudelitate eſt par. Quid manſuetudinem malis polliceatur, ſi moribus aliud exhibet? niſi quod etiam quadam ſimulatione peccat, aliud genarum læuore promittens, aliud morum truculentia offerens.

Quanti referat Chriſto per gra- 184
tiam hærere; ſimilitudine à barbæ pilis ſumpta egregiè quidam auctor explicabat, ſatis erit illius verba producere, quæ ſunt iſta: *Pilos* BARBÆ *regis, quandiu mento illius adhærent, nemo audet contingere: at vbi à tonſore reſecati ſunt, in* STERQVILINIVM *mittuntur, & pedibus conculcantur. Sic dum homines per gratiam* CHRISTO VNITI SVNT, *in magno pretio habentur, & ab Angelis honorantur: at vbi ab eo per peccatum auulſi ſunt, pedibus etiam Dæmonum proteruntur*. Ex quo conijcias, quàm magna ſit illorum amentia, qui tàm grande hoc diuinæ gratiæ donum

 pro

pro rei viliſſimæ pretio vendunt; meretur ab omnibus contemni, qui rem rebus omnibus præferendam contemnit.

Longobardi olim, vt indicat Paulus Diaconus, primam barbam apud amiciſſimos deponere ſolebant, vt deinceps eſſet ſymbolum futuræ etiam in poſterum amicitiæ. Ab hac lege eximo fideles, ad ſanctiorem voco, ſalubrioremque. Primàm, qui barbam deponit, deponat ea, quæ puerilem ætatem ſapiunt, magis ſeria eligat, vitamq; ita inſtituat, ea opera edat, quibus nunquam violandæ in Deum amicitiæ ſigna ſtatuantur.

De Vitoldo Duce Lituanorum hoc, quod ſubijcio Sabellicus refert: Capitale futurum edixit, ſi quis barbam aleret, vt id vnum diſcrimen regem à populo diſcerneret. Nec Lituani imperio paruerunt, ſatiùs rati vita quàm barba periclitari. Periculoſum nimis viſum eſt Vitoldo id vindicare quòd popula-

pulariter peccaretur. Abſtinuit itaque vindicta, cæterum recentiore edicto vetuit capillum, BARBAMVE SECARI, ſoluſque iam inde in totâ gente tonſus vixit. Satius ſi non barba regem à populo diſcriminet, ſed vita, ſed mores. Melior cæteris ſit, qui cæteris eſt eminentior dignitate. Præſtabit ſi omnes illi, qui barbam alunt regem referant, regiam mentem circumferant.

CAPVT XXXII.

Pectoris forma, & ſitus hominis informationi vt ſeruiat.

Pectoris latitudo, & rectitudo quid hominem moneat. 185

Tundendum *pectus* in pœnitentiæ ſignum.

In *pectoris* tunſione iudicis actus notatus.

In ſpiritali pugna *pectus* tāquā tympanum tundimus, & pulſamus. 186

Pectus ſepulchri formam referens ad *mortis* cogitationem nos vocat.

Intra *pectus* ſpirituale domicilium, cuique condendum. 187

Caput in *pectus*, *ventremque* nemo inclinet.

Papillarum locus expenditur. 188

Ex *charitate* non ex *auaritia* exhibenda, quæ damus.

Ex corde prodeant *beneficia*, quæ in alios conferimus.

185 VTilia monita pectus ipſum hominis, offert, dum offert ſe. Latum, & rectum Deus homini pectus dedit, nec vt cæteris animantibus anguſtum, & terram ſpectans, vt rerum terrenarum affectu non ſineret ſe corripi; diſceretque à pectoris latitudine, corporearum rerum anguſtia non comprimi. Rectum pectus rectitudinis hominem admonet, & terram non ſpectans vt terrá non ſpectaret clamat. Benè Lactantius: PECTORIS, inquit, LATITVDO *ſublimis, & expoſita oculis mirabilem præ ſe fert habitus ſui dignitatem. Cuius hæc cauſa eſt, quod videtur hominem ſolum Deus veluti ſupinum formaſſe (nam ferè nullum aliud animal iacere in tergum poteſt) mutas autem animantes quaſi alterno latere iacentes finxiſſe, atque ad terram compreſſiſſe. Iccircò illis* ANGVSTVM PECTVS, *& ab aſpectu remotum, & ad* TERRAM VERSVS *ſubiectum; homini autem patens, &* RECTVM, *quia plenum rationis à Cælo datum, humile, aut indecens eſſe non debuit.* Erit ſi vilia tantùm homo reſpiciat, & inclinet ſe ad terrena. Serpentis pœna eſt, vt pectore per terram ſerpat; damnare ſe huic pœnæ homo non debet.

Pectus homo ita formatum habet, vt facilè tundere illud poſſet, ad pœnitentiam excitaret ſe, & ad veniam Dei bonitatem prouocaret. Nam tundere pectus ſuum debet quilibet, vt peccata intus in corde latentia terat, non vt pauimentum fabri-

fabricet ſuper illa : *Erubeſcamus*, inquit Sanctus Auguſtinus, *confiteamur*, & PECTORA TVNDAMVS, *non vt ſuper peccata noſtra pauimentum ſolidemus. Nam qui tundit pectus, & non corrigitur, ſolidat peccata, non tollit.* TVNDAMVS PECTVS, *& cædamus nos, & corrigamur à nobis, ne ille poſtea nos cædat, qui Magiſter eſt.* Tundendum pectus eſt, vt dum in nos tamquam iudices ſæuimus, à diuini iudicis nos pœna ſubducamus. In pectoris tunſione iudicis actum notabat Sanctus Cæſarius in hæc verba : PECTVS TVNDEBAT, *& peccata intus incluſa quaſi* IVDEX SEVERISSIMVS *verberabat*. Ita quilibet ſui ſit iudex, vt ex reo innocens fiat. Iuit in exemplum Publicanus, qui pectus ſuum percutiebat, vt in improbitatis officinam ita ſæuiret : *Quare autem*, inquit Theophanes Cerameus, huc ſpectans, *neque caput, neque genua, neque aliam corporis partem, ſed* PECTVS PVLSABAT; *percu-*

tiebat,

tiebat, inquit, pectus ſuum dicens : Deus propitius eſto mihi peccatori : Nimirum ex corde cogitationes ad auaritiam ipſum excitantes eruperant, & manibus ad alienam rem iniuſtè accipiendam abuſus fuerat, locus enim, in quo ſitum eſt cor, pectus eſt, meritò igitur IMPROBITATIS OFFICINAM *manibus iiſdem verberat, quæ ad auaritiam fuerant famulatæ.* Proh quàm eximiam erigit perfectionis fabricam, qui pectori pœnitentia percuſſo, & benè ſolidato ſpirituale imponit ædificium!

Præterea tundimus nobis pectus 186
tanquam in pugnam contra hoſtes ituri. Quis neſciat pugnaturos tympanorum ordinata pulſatione dirigi, & in prælium animari? Homo contra inuiſibiles, viſibileſque hoſtes bellum habet, prælium inituris non eſt, quod tympaniſtam aliunde aduocet; ipſe ſibi eſt, & TYMPANI LOCO PECTVS ERIT, quod ritè, & ex pœnitentiæ legibus pulſatum pugnaturos excitat, & ho-

& ho-

& hoſtes ſtatim exanimat, aut deijcit, aut in fugam vertit, quod non præſtat illud, quod militibus ordinandis adhibetur. Niſi dicamus, vt in militiæ ſtemus ſimilitudine, pectus clypei, & ſcuti formam præſeferre, quo contra aduerſa omnia fortiter eatur, & difficultatum omnium tela, quæ ſub Dei vexillo militantes in nos iaciuntur, repellamus. Scutum pectore non præfert, qui vel leui verborum ictu victus cadit.

Sed & aliud etiam munus pectus exercet, & alia noſtris mentibus monita inſtillat; ita formatum eſt pectus, vt ſepulchrum, ſepulchralemque domum referat. Hinc & Sanctus Petrus Chryſologus pectus noſtrum SEPVLCHRO, in quo Chriſtus mortuus iacuit, comparabat. Igitur dum pectus ſuum quiſque aut tangit, aut videt, ſepulchralem ſe lapidem tangere, aut videre ſe putet, ad mortem cogitet. Scimus aliquos viros magnos fuiſſe, qui

qui in expeditionibus ſepulchralem paraturam ſecum deferrent, vt vbique ſpectarent mortem, ſed quod eſt vtilius, ſe ad eam pararent. Minori ſumptu, ac labore, quin & nullo commodum ſentire quiſque poteſt, ſi pectus ſuum videat. Sepulchri formam pectus habet, ſepulchrum eſt, quocunque ſe homo confert, ſepulchrum ſecum fert, & ad mortis cogitationem vocatur. Sepulchrum in ſuo pectore qui ſpectat, vitales inde hauriet ſpiritus, qui verò in alieno, non ſe ſinet impudico amore ſepeliri.

Pectus domus quandam formam 187
refert, & tacitè monet, vt ſub pectore ſibi quilibet domicilium formet, quod non facilè deſerat foras prodiens. Hic optimè quadrat vtile illud monitum, quod B. Stephanus Macon Carthuſianus offert, nam vt in eius actis habetur: *Hortabatur omnes vt conſtruerent ſuum* INTRA PECTVS SPIRITVALE DOMICILIVM,

LIVM, *quod ingreſſi nunquam inde euagarentur, ſed quocunque locorum cochleæ inſtar illud circumferrent*. Maior ſe ipſo fiet, qui ita ſe intra ſe continebit, & perfectionis porriget limites, qui terminos coërcebit foras prodeundi.

Caput ſuper pectus erectum in homine eſt; monſtro eſſet ſimile, caput in pectus inclinatum circumferre, quod ab helluonibus, ventriſque ſuis mancipijs fieri docebat Clemens Alexandrinus: *Mihi, inquit, videtur is, qui à mathematicis dicitur acephalus, qui ante ſtellam errantem enumeratur,* CAPITE IN PECTVS COMPRESSO, *ſignificare helluones homines, & voluptuarios, & ad ebrietatem propenſos, nam in his quoque ratiocinandi facultas non in capite, ſed in inteſtinis collocatur*. Qui toti in ferculorum delicijs quærendis ſunt, caput in pectus dum inclinant, declinant ab hominis dignitate.

Sed ea etiam expendamus, quæ

circa pectus ſunt, & pectus aut ornant, aut veſtiunt. Occurrunt ſtatim vbera, & papillæ de quibus hæc Lactantius: PAPILLÆ *quoque leuiter eminentes, & fuſcioribus, ac paruis orbibus coronatæ, nonnihil addunt venuſtatis, fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad ſolum decus, ne informe pectus, & quaſi mutilum videretur*.

Brutorum aliqua vbera in ventre habent, aliqua inter crura, homo habet in pectore, vt videatur abire ab homine, qui hîc vbera non habet. Rem ita verſat, & expendit Beatus Antonius Vlyſſiponenſis: *Quædam animalia habent* VERBA IN PECTORE, *vt rationalia, quædam in ventre vt catæ, & ſues, quædam inter crura, vt equæ. Sic quidam prædicant Chriſti Euangelium tantùm ex affectione charitatis, & hi ſunt rationales* VBERA HABENTES IN PECTORE, *alij propter temporalia ex occaſione* AVARITIÆ, *vt ventri conſulant, & hi in ventre ha-*

bent vbera ; alij propter INANEM GLORIAM, *vel adulationem, & hi habent ea inter crura, vbi viget delectatio, & luxuria.* Doctrinæ lac effluere ab vberibus debet, quæ in pectore ſint locata, vt ex charitate prodeant, quæ dicuntur, non ſapiant auaritiam, aut adulationem redoleant. Denique hoc diſcrimen clamat ex corde prodire debere, quæ ab homine in alterius auxilium, aut leuamen fiunt: *Mamilla,* inquit doctus ille auctor, & multorum librorum editione nobilis, *eſt beneficij ſymbolum, quod in pectore virorum perfectorum refulget, namque horum operationes* EX CORDE, *& gratis prodeunt, cum beneficia improborum ex ventre, nimirum vtilitatis cauſa in cæteros conferantur.* Vtilitatem ſuam, qui tantùm ſpectat ab hominis nota abit, ad brutorum illorum accedit naturam, quę mammas in ventre habent, non in pectore.

CA-

CAPVT XXXIII.

Manuum fabrica quid hominem doceat.

Manus, & *actionis* nexus. 189

Multarum artium miniſtræ *manus* dictæ.

Idolis pares, qui *manus* habent, & non operantur.

Manus hominem monet, vt *proximo* ſeruiat.

Manus hominem monet, vt cum ratione, & ſapienter omnia *operetur*. 190

Duæ *manus*, vna *lingua* homini data, quia plus operari debet, quàm loqui.

Fortitudini *manſuetudinem* iungendam *manus* docent. 191

Manibus vtendum in Dei obſequio.

Accepta Deo *victima manus*. 192

Manus dignitas, quæ operatur, & diſpenſat diuina *myſteria*.

Ambidextri vt eſſe debeamus. 193

Pudo-

Pudoris propugnaculum *manus*.
Manu opus non præſtandum, quod *ruborem* nobis inijciat.
Interior *manus* pars de pilis, & lenis quid hominem doceat. 194
Manus dum extenditur, & contrahitur, prudentiæ magiſtra vt ſit.
Amor manus animæ vt Deum teneat, terrena reijciat. 195

189 MAnui quoque manus admouenda, & de ea ſcribendum aliquid, cuius operâ hæc ſcribimus. Fæcunda, & ipſa vtilium monitorum eſt mater. Cùm operum tàm variorum inſtrumentum manus ſit: *Organum organorum* eam vocat Theologorum apex Sanctus Thomas, à manibus ſuis homo debet diſcere, ſe ad operandum natum. Tantus nexus manuum, & actionum eſt, vt nudo manûs nomine actio ſignificetur, & opus: *Ipſum opus hominis*, inquit Sanctus Auguſtinus, MANVS *hominis dicitur, quod fit per manum*. Et ex prophanis

Artemidorus, MANVS *actiones appellant*: ſine manibus eſſe videtur, qui operi manus non admouet, qui otio torpet, laborem vitat. Theodoretus Dei prouidentiam efferens, ait rerum opificem Deum manibus tribuiſſe *omniuariam operationem*; manca ſcilicet ſunt omnia ſine manu.

Motus ipſe manuum tàm liber, tàm varius, tàm facilis, ad agendum nobis datas indicat, certè ob id *multarum artium* MINISTRAS dixit Tullius, & ex noſtris Guilielmus; *Manus*, inquit, *quia vndique liberè mouentur ad omnia nobis ſeruiunt*; ideo tot operibus aptæ aptari varijs operibus debent. Alioquin Idolis ſunt pares, qui manus habent, ſed manibus non operantur. De falſis Numinibus à Propheta dictum, *manus habent, & non palpabunt*, id hominibus aptat Richardus, dum ait: *Scis quomodo te oporteat in bono opere exercere, nec tamen vis fructum boni operis per experien-*

tiam ſapere ; HOC EST MANVS HABERE, ET NON PALPARE. *Quid enim eſt manibus palpare, niſi operum fructus experiendo probare?* Hac lege ſi homines metiamur, plures Idola muta eſſe deprehendemus, quos viuentes homines putabamus.

Manus à Deo homo accepit non ſui tantum cauſa, ſed vt illis proximo poſſet ſeruire. Chriſtus Sanctam Catharinam Senenſem alloquens hæc de manuum vſu habet: *M*ANVS *homini ſunt conceſſæ, vt* HOMO PROXIMO SVO SERVIAT, *præcipuè cum infirmatur*. Audiant iſtuc, qui homini iacenti, & ægrotanti admouere manum dedignantur; infirmas meretur habere manus, qui manibus opitulari ijs renuit, qui infirmi lecto decumbunt.

190 Manus ſoli homini datæ, negantur alijs brutis, vt ſtatim Factor moneret, manibus ea ſolùm præſtanda, quibus à ratione carentibus homo differat. Hinc illud illius:

Nam-

Namq; homini conceſſa manus SAPIENTER *agenti*.

Manus accipere non merebatur, qui operibus non ſe diſcriminat à brutis. Hinc natum eſt vt manus non quodcunq; opus ſignificet, ſed cum ratione factum. Benè Oecumenius dixit: *M*ANVS *ſignificat omnia decenter, & cum* RATIONE *à Deo ordinari: quoniam ſola compoſita, rationaliſque natura, quæ non alia eſt quàm homo, manu plurimum quæ vtiliſſima ſunt efficere ſolet*. Quod etiam homini aptes, cuius opera omnia cohærere cum ratione debent, cum ſolus manu, qua opera conficiuntur, perficiunturque, præditus ſit. Denique manus operantes dirigere ratio, & intellectus debet, vt auium alas cauda. Rem ſic explicat Raulinus Abbas: *Sicut natura dedit auibus* DVAS ALAS *ad volandum, & cauda ad dirigendum, ſic ſoli homini non beſtijs dedit* MANVM *ad laborandum, & intellectum ad dirigendum*. Dum igitur homo manibus

 ope-

operatur, ratione ſe præditum ſtatim oſtendat; & opera præſtet, quæ à ratione aliena minimè ſint.

Numerus ipſo manuum non ad opus tantùm nos vocat, ſed quàm diuites in bonis eſſe operibus debeamus docere videtur. Homini duæ datæ ſunt manus, vnum os, & lingua vna, *quia plus*, inquit Vgo Carenſis, *debet* OPERARI, *quàm* LOQVI. Par eſt, vt quæ numero ſuperiores, vincant illud quod ſine numero vnicum eſt. Errant, qui ita loquuntur ac ſi mille haberent ora, mille linguas, & ita operantur ac ſi vnam manum haberent, aut etiam dimidiam, vel nullam.

191 Manus geminas habet homo, ſed dextra fortior, ſiniſtra imbecillior eſt; ex quo diſcas fortitudini manſuetudinem, ac mititatem adiungendam. Scitè ille: *Dextra fortior eſt ſiniſtra, & ideo per dextram ſignificantur opera* FORTITVDINIS, *per ſiniſtram autem opera* MANSVETVDINIS, *& miſericordiæ*. Niſi quod hoc

hoc in manibus diſcrimen hominem docet, vt fortior debiliores ita patiatur, vt ijs compatiatur quoque.

Operandum manibus, ſed illi, qui manus dedit; manibus abutitur, qui in Dei obſequium non vtitur manibus; Audiendus auctor ab aureo ore, ſed aureis etiam operibus diues: *Fecit*, inquit, *tibi Deus* MANVS! *Has ipſi poſſideto, non diabolo: non eas ad rapinas, ac prædas, ſed ad mandata facienda, ad beneficia conferenda, atque ad preces aſſiduas extendens, ad eos, qui ceciderunt, erigendos*. Non meretur manus habere, quas ad opus porrigat, qui eas ad malum porrigit.

Olim manus iubebatur ſuper victimam poni; magnus nexus victimæ, & manus: victimam manus referet, ſi tota ſit Deo ſacra, vt victima eſt, & quicquid à manu exit ſacrum Deo ſit, Dei gloriam ſpectet. *Accepta cælo* VICTIMA, inquit Ioannes Euſebius, *manus eſt*. Hoc 192

 titulo

titulo caret manus, quæ malis operibus inferno operantem mactat. Addit productus auctor: *Veteres Luſitani* ABSCISSAS CAPTIVORVM DEXTRAS *Diis* OFFEREBANT. *Non alienam tu, ſed tuam offerto*, eamq; non Dijs, ſed Deo. Offerre potes, etiamſi à te non abſcindas manus, ſufficit ſi à te abſcindas, quod poteſt inficere illud, quod manibus facis.

Victima manus eſt, ſed ſimul incruentam victimam ſacris altaribus admota & accipit & miniſtrat, vt maxima hinc manui accedat dignitas. Religio ſit hîc Sancti Ambroſij verba deſiderari; & ſunt iſta: *Manus eſt quæ cibum ori miniſtrat, manus eſt quæ præclaris enitet factis, quæ conciliatrix diuinæ gratiæ ſacris infertur altaribus, per quam offerimus, & ſumimus Sacramenta cæleſtia:* MANVS EST, QVÆ OPERATVR PARITER, ATQVE DISPENSAT DIVINA MYSTERIA, *cuius vocabulo non dedignatus eſt ſe Dei Filius declarari,*

dicente

dicente David, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Ne malis operibus nomen temerè temeres adeò ſanctum.

De manibus hoc Galenus obſeruat, viſos pleroſque viros ſiniſtra vti vt dextera, non verò mulieres ob defectum ſcilicet caloris: *Viri quidem*, inquit, AMBABVS MANIBVS VT DEXTRIS VTENTES, *ſæpè viſi ſunt, fœmina verò hactenus nulla*; vt documento nobis res eſſet, virilis animi, magnoque diuini amoris calore referti eſſe, nec ſecundis rebus nimis eleuari, nec aduerſis nimium premi; fæmineæ hoc eſt mentis: *Erimus ambidextri*, Caſſianus ita ſentiebat, *quando nos rerum præſentium copia, vel inopia non mutarit, & nec illa nos ad voluptatis noxiæ remiſſionem impulerit, nec iſta ad deſperationem attraxerit & querelam, ſed ſimiliter Deo grates in vtroque referentes, parem fructum de ſecundis, aduerſiſque capiemus, qualem ſe ille* VERVS AMBIDEXTER

doctor gentium fuiſſe teſtatur, dicens: Ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abundare: vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abundare, & penuriam pati, omnia poſſum in eo, qui me confortat. Tantùm præeuntem ſequere, idcircò enim hæc de ſe ipſo dixit gentium Apoſtolus, vt omnes ſuo exemplo ad paria prouocaret. Sed alia ex manu monita eliciamus.

Pudoris propugnaculum quoddam manus eſt; *Manum*, inquit Aphrodiſæus, *naturæ genio, atque ductu faciei admouere tantiſper ſolemus, dum* PVDORE *afficimur*. Pudori ſeruiant manus, non ea præſtent, quibus pudore afficiatur, qui manus habet. Ob id in oratione eleuari ſolebant manus, ne orationem fuſurus manus ſuam ſpectans ob aliquod opus malum ERVBESCERET, vt notatum quoque ab alijs eſt.

194 Obſeruatu etiam dignum eſt interio-

teriorem manus partem, quæ vola dicitur glabram, & depilem omninò eſſe, nimirum vt acuratius qualitates dignoſceret. Ita Lygæus:

Vola concaua manſit,
Ac LENEM, GLABRAMQVE *cutim natura creauit.*
Senſus vt interna parte hac exactior eſſet,
Certius & tactu rerum diſcrimen ab illo.

Nimirum vt hinc diſcas, eum qui de alijs ferre iudicium debet, ab omni culpæ, maculæque onere, ac, vt ita loquar, pilis immunem eſſe par eſſe. Niſi hinc manſuetudinis, & lenitatis monitum elicias. Pulchrè ille ex noſtris:

E la lingua, e l'interno de la mano
Molle, e ſenza lanugine ſi vede,
Perche non ſolo il dir ſoaue humano,
Mà l'opra anco ſimil virtù richiede,
Con voci di Giacob in van mi latti,
Se con man d'Eſaù poſcia mi tratti.

Manus ipſa, quæ vna cum ſit varias pro rerum exigentia formas

induit, & vna extenditur, aut contrahitur, cuiuſdam prudentiæ magiſtra hoc ipſo fit. Egregiè Martinus Epiſcopus Dumienſis, ſic enim philoſophatur: *Si prudentiam amplecteris vbique idem eris: & prout rerum, ac temporum varietas exigit,* ITA TE ACCOMMODES TEMPORI: *nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes:* SICVT MANVS *quæ eadem eſt, & cum in palmam extenditur, & cum in pugnum aſtringitur.* A ſua quiſque manu diſcat ſe alijs prudenter aptari, & ita accommodare ſe tempori, vt ad æternitatem ſemper ſpectet.

195 Occupata, & plena manus aliud tenere non poteſt, ita & amor eſt, animæ manum illum voco, hæc manus temporalium amore occupata tenere Deum non poteſt; *Intendite amorem hominis,* verba ſunt Sancti Auguſtini, *ſic putate* QVASI MANVM ANIMÆ. *Si aliquid tenet, tenere aliud non poteſt, vt autem poſſit tenere quod datur, dimittat quod tenet.*

Hoc dico, videte quia apertè dico. QVI AMAT SÆCVLVM, AMARE DEVM NON POTEST: OCCVPATAM HABET MANVM. *Dicit illi Deus: Tene quod do, non vult dimittere quod tenebat: non poteſt accipere, quod offertur.* Occupatam amoris manum tenet, qui terrenarum rerum amore tenetur, vt proinde ineptus excipiendis donis ſit, quæ Deus offert.

CAPVT XXXIV.

Digiti quid ad noſtram informationem loquantur.

Digiti linguoſi dicti. 196
Digitorum ſpecies expenditur.
In *digitis* diſcretionis forma. 197
A *digitis* ſuis quiſque diſcat facilè in Dei obſequio flecti.
Prompti ad benefaciendum Dei exemplo ſimus.

Manus in *digitos* ſciſſa, vtilium monitorum mater. 198

Rotunda, & teres *digitorum* forma nos docet, vt malos feramus potius quàm feriamus.

Digiti nos docent, quî operum participes eſſe poſſimus, quæ ab alijs fiunt. 199

Digitorum numerus diuinorum præceptorum memoriam excitant.

Digiti ſuperfluarum diuitiarum contemptum ſuadent. 200

Digitos in latus Chriſti, quiſnam ſpiritualiter inferat.

Falſario olim inciſi *digitorum* nerui. 201

Integram *manum* ſuam videns, quid præſtare debeat.

196 LOquutionem digitis tribuunt diuinæ litteræ, tribuunt & prophanæ, vt non ab re *loquaciſſimas manus* Caſſiodorus dixerit, & LINGVOSOS *digitos*. Nec defuerunt, qui manus ſermonis cauſa homini datas cenſuerint; voluit

luit

luit iſtuc Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui de hominis opificio agens, ait: *Si quis dicat naturæ loquenti* MANVS SERMONIS CAVSSA ESSE DATAS, *non is quidem planè à vero aberrauerit, in quo non ad hoc tantùm animo reſpiciendum eſt, quòd venire cuiuis in mentem poteſt, nimirum quod literis exprimi ſermo à nobis manuum ſolertia ſolet: quamquam hoc ipſum non à nulla rationis præſtantia profectum eſt, homines per literas loqui, & prope modo quodam manibus inter ſe differere, literarum notis voces ipſas comprehendentibus*. Et Sanctus Cyprianus; VERBA MANIBVS *expedire*, dixit, & loqui digitis. Ob manuum ſcilicet geſtum. Sed vt aliam in manu loquutionem ſuperius notauimus, ſic & ſuam in digitis eſt reperire, loquuntur digiti etſi taceant, & monent licent non moueantur.

De digitorum ſpecie, & vſu hæc eleganter Lactantius habet: *Quid dicam de manibus rationis, ac ſapientiæ*

tia

tiæ miniſtris? Quas ſolertiſſimus artifex plano, ac modicè concauo ſinu fictas, vt ſi quid tenendum ſit, aptè poſſit inſidere in DIGITOS *terminauit, in quibus difficile eſt expedire, vtrumne ſpecies an vtilitas maior ſit. Nam & numerus perfectus, ac plenus, & ordo, ac gradus decentiſſimus, & articulorum parium curuatura flexibilis, & forma vnguium rotunda concauis tegminibus digitorum, faſtigia comprehendens, atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud verò ad vſum miris modis habile, quod vnus à cæteris ſeparatus, cum ipſa manu oritur, & in diuerſum maturius finditur. Qui ſe obuium cæteris præbens omnem tenendi, faciendique rationem vel ſolus, vel præcipuè poſſidet, tanquam rector omnium, atque moderator. Vnde etiam pollicis nomen accepit, quod vi, & poteſtate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non, vt alij, trinos, ſed vnus ad manus carnem nectitur pulchritudinis gratia. Si enim*

enim fuiſſet tribus articulis & ipſe diſcretus, fœda, & indecora ſpecies ademiſſet manibus honeſtatem. Nimirum non vtilitatem tantùm Deus in digitorum fabrica ſpectauit, ſed & pulchritudinem, ac venuſtatem, vt ſtatim qui manibus, & digitis in Dei obſequium vtitur, etiam decoris, & honeſtatis rationem habeat, ne ſpectantium offendat mentem.

Digitos vides? diſcretionis formam quandam referunt. *Manus enim*, inquit Raulinus, *habet diſcretam, & diſtinctam figuram* DIGITORVM, *per quod nobis innuitur, quod non ſufficit facere opus bonum, niſi illud fiat cum* DISCRETIONE. Parum eſt operari bonum, benè operandum eſt, atque adeo cum diſcretione, qua ſi opus bonum careat, vix eſt, quod eſſe dicitur. 197

Pende quàm facilè aut porrigantur digiti, aut contrahantur: DIGITORVM, inquit Tullius, *contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commiſſuras, & actus nullo in motu labo-*

laborat. Quæ res hominem monet, vt facilis in Dei obſequium moueatur, facilè ſe ſinat in omnem partem flecti, ne rigidus, ac durus in ſua ſententia ſit: Aptè ſcitus ille auctor: *A* DIGITIS, *qui leuiter flectuntur, diſce* LEVITER FLECTI, *& ad aliorum, quibus ſubijceris, nutum inclinari.*

Præterea aliud nos digiti docent, qui ita facilè porriguntur, & explicantur, vt ſcilicet prompti facileſque ad benefaciendum ſimus. Auctor ab aureo ore, cum illud Regij Prophetæ Deum alloquentis expenderet: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur vbertate,* hęc adiecit ad explicatum: *Quemadmodum in promptu eſt* DIGITOS *introrſum vergentes extendere, ita facilè Deo eſt vberem bonorum omnium dare prouentum.* Deum ſuum homo imitetur, & à ſuis digitis diſcat, opem quam poteſt alteri homini afferre.

198 Pars manus indiſcreta hominem docet, vt neceſſaria retineat ſibi,

di-

diſcreta vt beneficus ſit in alios; aut etiam monetur vt ab vna parte in aliorum auxilium velut in partes diducatur, & ab alia non totus in alios diuidatur vſus, oblitus ſui. Benè ille: Sæpiùs mihi humani corporis fabricam contemplanti, manuum ſtructura occurrit. Harum enim prior pars in digitos ſecatur, alia verò, quæ brachio proxima eſt, quam volam vocamus, indiſcreta eſt. Si huius rei cauſam quæras: nonnulli reſpondent, duas nobis virtutes hoc facto edocuiſſe naturam, ſcilicet dum dimidiam manum in digitos findit, & partitur, nos liberalitatem docet, oportet enim in alios eſſe beneficos, & quandoq; pecuniam in alienos vſus effundere. Dum verò dimidiam manum indiſcretam reliquit, nos in vſus proprios, neceſſaria retinere docuit: neque omnia alijs elargiri, neque beneficos in prodigalitatem ruere. Ergo, vt partem retinere, & partem dare doceat, partem ma-

nus

nus ſecat, partem abſque inciſione reſeruat. Quod ad illos extendas, qui toti in alijs iuuandis diuiduntur, ſui, ſuæq; ſalutis penitus obliti, vt iam amplius manus non ſeruent formam, ſed toti, ſolique digiti ſunt.

Manus, quæ in digitos diducitur, nec infirmior tamen fit, ſed operibus perficiendis aptior, ſuperioribus inclamat, nullum poteſtatis præiudicium fieri, ſi per multos præſtent, quod ægrè poſſent ſoli. Egregiè rem verſat bonus ille auctor: „Sicut manus ad ſuum munus exercendum non eſt minus apta ac fortis, eo quod IN DIGITOS DIVIDATVR, quin potius ob id ad operandum aptior, & dexterior eſt, ita non minus ſtrenuus princeps, aut prælatus eſt habendus, ſi negotia quæ ipſe perficere non poteſt, prudentibus viris committat, quinimò ſic Reſpublicæ melius reguntur, & gubernantur, ipſis principibus, aut prælatis ad res maioris

pon-

ponderis expeditioribus manentibus; vnus omnia, nam non poteſt perficere, multorum opera vtatur, vt præſtet non ſolùm plura, ſed & perfectiora.

Rotunda, & teres digitorum forma eſt, ne facilè lædantur, facilè lædant, vtrumque fieret, ſi in acumen deſinerent. Docti auctoris hæc ſunt verba: *Sunt etiam* TERETES *digiti, nam forma* ROTVNDA *apta pati minus eſt, ac vna refringitur ægrè rebus ab externis*. A noſtrorum digitorum rotunda forma diſcamus, non facilè refringi, nec retundi, & alios potius FERRE, quàm FERIRE.

Inæquales licet digiti ſint, nullus 199
tamen negligitur, & cum aliqui alicui operi dant operam, etiam illi qui illam non efficiunt, aliorum ſequuntur motum, nec alijs inuident, quod alij faciunt. Dum manus ſcribit, duobus, aut tribus digitis id præſtat, reliqui ad horum motum mouentur; & quantum poſſunt cooperantur. Idem fieri à nobis debet,

cum

cum accidit vt aliqua efficimus, quibus nos ſumus impares, operantem iuuemus, quantum nobis licet. Quod de fratribus Plutarchus dixit, ad omnes eadem ratione poteſt porrigi. Hæc auctoris huius verba: *Cum fratre autem non conuenit, velut in bilance, vergere in contrarium vt ſi tollatur ille, ipſe humilieris: ſed quemadmodum minores numeri maiores multiplicant, ita fratrem maiorem multiplices, & multiplicato incrementum des pariter ac ſuſcipias cum bonis. Neque enim ſcribente, vel pſallente minus habet* DIGITVS, *qui id facere non poteſt, cuiq; natura non dedit: ſed ſimul mouentur & cooperantur omnes quodammodo inuicem, quaſi data opera nati ſint inæquales, habeantque vim opitulatricem ex oppoſitione quàm maximam, robuſtiſſimamque.* Non es idoneus ſublimia illa miniſteria exercere, quæ exercet alius? adiuua quibus medijs potes, & factum approba, & boni operis particeps fies, vt à te quoque factum

ctum videatur, quod à te fieri non poterat.

Digitorum ipſe numerus, loquax, vt ita loquar, eſt; decem digiti ſunt, & decem præceptorum Dei memoriam, & quod eſt maius, obſeruantiam commendant. Certè Dei Mater Sanctam Brigittam alloquens: *Habendi, inquit, ſunt* DIGITI DECEM PRÆCEPTORVM *Dei*. Igitur cum manus tuas vides, mente ad decalogum flecte, & manum vt illa impleas admoue, omnia opera quæ facis ad diuinæ normam legis dirige, nihil à manibus exeat, quod à Diuinæ legis abeat ſcitis.

Manum tuam ſpecta, ſpecta di- 200
gitorum numerum, & diuitiarum contemptum hinc collige. Rem ita conficit ſcitus ille auctor: *Quid iuuat poſſeſſio auarum immenſæ cuſtodem pecuniæ. Si habeat multa, omnibus vti non poteſt, nec volet. Qui* SEPTEM, AVT OCTO DIGITOS IN MANV HABET, *hanc liberalitatem naturæ non gratiam, ſed iniuriam putat*,

tat, & in ſe peccaſſe, quàm de ſe meruiſſe. Exſuperans apparatus contrectandi impedit accommodam, & ſubtilem tractationem rerum. Quid igitur addititia iſta vitæ organa, & inuenta iuuant, quæ ampliauit moleſtis cupiditas officij? Incommoda digitorum additio eſt, & officit pulchritudini. Idem de ſuperflua diuitiarum copia dixeris, quas auarus fundi amor auxerit. Plerumque animæ venuſtatem infecerunt, qui nimis cupide opes ampliarunt, & ad bona ſpiritualia minus fuêre expediti, qui temporalia bona extra indigentiæ, & neceſſitatis metas cumularunt. Denique vt pluribus digitis onerari monſtri quædam nota eſt, ſic diuitiarum onere premi, niſi abſeces, & indigentibus tribuas, monſtruoſa res eſt.

Manibus ille rectè vtitur, & digitis, qui illas, qui iſtam Chriſti vulneribus ſtudet admouere, vt quod re ipſa Sanctus Thomas Apoſtolus ad Chriſti imperium fecit,

faciat

faciat quilibet affectu, & mentis intentione, & quadam interpretatione. Benè bonus ille auctor: *Inferre* DIGITVM *in loca clauorum, & mittere manus in latus Chriſti non eſt niſi facere operationem conformem illi, quam fecit Dominus, dum & clauis perforari, & latus ſuum pro nobis aperiri voluit, ſcilicet operari ex amore, & dilectione Chriſti. Benè ergo per operationes noſtras tangimus Chriſtum, quando per illas vnimur Chriſto, per amorem, & charitatem eius.* Digitos qui Chriſti plagis admouet, non facilè ea committet, quibus anima plagis afficiatur, lædatur Chriſtus.

Denique vt definiam, falſario 201
olim digitorum neruos præcidi iuſſos obſeruo. Hinc illud apud Lampridium. *Falſario inciſos* DIGITORVM *neruos.* Et illud Sancti Valeriani: *Homo cum ſanam dexteram videt* FALSITATIS REO *debito iure ſupplicia indicet fuiſſe conceſſa.* Nos cum integram noſtram videmus dexteram, curemus ne falſitatis

argui

argui poſſimus, ne aliud loquamur lingua, aliud operibus.

CAPVT XXXV.

Cor quid cordi ſculpendum exhibeat.

Surſum *cor* ſit, ne putreſcat. 202

Ad *cordis* noſtri cuſtodiam, cordis munimine vt Deus nos vocauerit. 203

Mundum ab iſto mundo, rerumq; terrenarum infectione *cor* cuſtodiendum, tanquam Dei ara, & thronus Spiritus Sancti.

Cor creaturarum *diuerſorium* conſtituere quàm ſit abſonum, & indecens. 204

Cordis locus ab externarum rerum tumultu vt ſe homo eximat, exclamat.

Cor in hominis medio Deus locauit, vt *thronum* ſuum illud conſtitueret. 205

Cor intus deliteſcens ſolum Deum ſpectare interiora *opera* docet.

Quæ *cordi* proxima cordi *humilitatis* ſpiritum inhalant, ſuperbiæ remedium præbent. 206

Nemo *cor voracitatis* ſtudio in ventre habeat.

In *oculis* quinã *cor* habere dicantur.

Superior tanquam *cor* virtutis ſpiritum hominibus cõmunicet. 207

Solius *Trinitatis* eſt hominis *cor* replere.

Superior ab omni imprudenti affectu ſit immunis, æqualiter omnes reſpiciat vt *cor* membra.

EXſculpi ex corde ipſo multa 202
poſſunt, digna quæ cordi ſculpantur ad vitam. Adducemus hic aliqua, per quæ lector ad alia eat.

Cor hoc ſitu in homine eſt, vt acutiori ſui parte terram reſpiciat, obtuſiore cælum, vel ipſa poſitione docens, corde terrenis inhærendum non eſſe, ſed cælo, ſed cæle-

ſtibus. Expanditur ſurſum cor, expandendum in ea clamans quæ ſunt ſurſum, contrahendum in ijs, quæ ſunt deorſum; eo ſenſu quò Paulus dicebat: Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram. Putreſcet ſi terræ hæreat, non ſecus ac pleraque quæ ex terra producta, ſi diù tangant terram. Feſtiuè non minus quàm verè Sanctus Auguſtinus: *Putruerat, inquit, cor tuum cùm eſſet in terra, non gratis audis:* SVRSVM COR NE PVTRESCAT. Cor ipſum reſpice ne terrena reſpicias. *Frumentum,* inquit idem Sanctus Doctor, *ſi haberes in inferioribus ne putreſceret, leuares ad ſuperiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra* PVTRESCERE. *Frumentum leuares in ſuperiora, cor leua in Cælum.* Non te pudet pluris à te fieri frumentum tuum, quàm cor tuum fiat, dum in frumento facis, quod non facis in corde, in Cælum præmittendum eſt, antequam illuc eamus. *Sicut Eccleſiam præceſſit caput*

eius, ſic Chriſtianum, inquit Raulinus, *præcedat* COR EIVS, ſurſum cor habeat, iturus ſurſum, nam hìc putreſcet cor, ſi imis hæreat, & peribit ſi depereat peritura. Surſum maiori ſui parte cor fertur, vt maiori cordis parte, ſint etiam tota, ſi fieri poteſt, in Deum nos feramur.

Ad cordis nos cuſtodiam Deus 203
vocauit, dum cor tot repagulis ſepſit, & muniuit: *Quoniam cor,* inquit auctor ab aureo ore, *membrorum noſtrorum principaliſſimum eſt, & totius vitæ noſtræ firmitas eſt ipſi tradita, & ipſo quomodocumque percuſſo naſcitur mors, ſolidis, & duris oſſibus hoc vndique circummuniuit (Deus) & pectoris prominentijs, & tergi ipſum poſteriùs* MVNIENS, *& quod in cerebri membranis fecit.* Sequamur in Dei cultu regulas Dei, cuſtodiamus omni ſtudio cor, quod ipſe tanta cura vallauit, & muniuit.

Quàm fuit natura prouida, vt quod in homine præcipuum, & à

quò cæterorum vita dependet, præcipuè cuſtodiret! In centro illud conſtituit, coſtis muniuit, nihil non fecit, vt iniurias omnes arceret. Naturam imitemur, ſolicitè cuſtodiamus quod tam ſolicitè ipſa cuſtodit. Voluit hoc Sapiens, dum dixit: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*; cor non videtur habere, qui cor non cuſtodit, à quo ſalus pendet, & vita. Opportunè de cordis cuſtodia Ioannes Euſebius: *Non minus*, inquit, *pendet vita ſpiritualis à corde, quàm corporalis: cuſtodito, & intemerato corde ſeruabitur ſpiritus.* SACROSANCTA DEI ARA, *& thronus Spiritus Sancti cor humanum eſt. Summa ſolicitudine curare debes, vt mundum ab iſto mundo illud ſerues, nec maculetur imaginibus rerum mundanarum, & impertinentium, quibus per feneſtras ſenſuum velut machinis te quatit mundus, & dæmon*. Pergit, & audet: *Plus curare* COR TVVM *oportet, quàm altare, ſacrarium, & vaſa ſacra, vbi ſacrificatur, colitur,*

& ſeruatur Corpus ipſum Chriſti in Sacràmento. Poterat rem grauius vrgere, & efficacius commendare? Cor habere non eſt dignus, qui cor ſolicitè non cuſtodit.

Cor Deo ſacrum prophanum red- 204
di promiſcuo creaturarum in illud aduentu non debet. Qui omnia admittit in corde, à corde excludit Deum. Quàm fatui, qui Dei domicilium, rerum mundanarum eò fædius diuerſorium reddunt, quò facilius in corde omnia recipiunt etiam ea, quæ hoſtes ad noſtri euerſionem obtrudunt. Nollem nobis ea conuenire, quæ bonus auctor, hominum ſtultitiam admirans effundebat: *Solùm hoſpites corde excipimus; viatorum* DIVERSORIVM *facimus prætorium Dei; ea amantes, quæ quia noſtræ iuriſdictionis non ſunt, citius nobis inſalutatis abeunt, quàm nos adeant*. Addit remedium, quo tanto occurratur malo. *Pietas noſtri eſſet crudelitas Diomedæa, omnes iſtos obtruncare hoſpites. Iuuat idcircò*

noſtra inſpicere, & curare, Stultiſſimum eſt alienis occupare contra voluntatem Domini, propriaque negligere. Sed tutius ianua occludatur his hoſpitibus, obtruncari poterunt, cùm ſe intus inſinuauerint. Mitis in hos peregrinos qui nimis eſt, nimis à pietate peregrinatur. Fores nullæ illis pateant, hoſtes ſtatim euadunt ſi tales hoſpites admittantur, & eò ſæuiores fiunt, quò mollius excipiuntur.

Cor in interiorem corporis locum Deus poſuit, vt illuc homo iret, ſe ab externarum rerum tumultu eximens, cum moleſtæ nos inquietant curæ habemus, quò nos recipiamus, cor; in corde verſemur, ibi tuti ab hoſtium inſidijs futuri. Præclarè Sanctus Diadochus: *Qui verſatur ſemper* IN CORDE SVO, *abſens prorſus à ſecundis rebus vitæ huius peregrinatur, qui enim ambulat ſpiritu, non poteſt deſideria carnis noſſe: quandoquidem iam deinceps in arce virtutum ſuas ambulationes conficit,*

vtiturque is ipſe virtutibus, veluti ianitricibus caſtimoniæ, quæ eſt inſtar ciuitatis paruæ, ex quo fit, vt in hoc irritæ ſint machinæ dæmonum, quamuis vſque ad feneſtras naturæ, tela vulgaris amoris pertingant. Intus homo habitet, & cordis arcem cuſtodiat, & hoſtis tela adeo non timebit, vt rideat. Sed locum ipſum cordis hoc loco perpenſius diſcutiamus.

Cor in hominis medio locauit 205
Deus, vt vel ſitu ipſo proderet, illud ſibi in ſedem, in thronum elegiſſe, vbi totum hominem, hominiſque actiones, affectioneſque dirigeret. Deum ſic loquentem quidam facit: *Ego ipſe cor creaui, &* IN MEDIO HOMINIS *repoſui, vt ſedem meam, &* THRONVM MEVM *in medio illius collocarem, & poſſem affectiones omnes hominis regere, & dirigere.* Vitiorum ſedem qui cor ſuum facit, hac inſania, impietateque laborat, vt à dæmone illud potius regi velit, quàm à Deo.

Intus cor deliteſcere voluit Deus, & ab hominum oculis eximi, vt totum Dei eſſet, quod in corde fit, & fit à corde; noluit ſpectantium hominum diſcrimini obnoxium, quod eſt præcipuum. Quid homini exponatur, quod Dei ſolius eſt? Cor quid homines ſpectent, quod ad Deum ſpectat? Abſconſio iſta cordis clamat Dei eſſe debere, quæ in illo fiunt: *Externa bona quæ facimus,* Oleaſtri verba ſunt, *non videntur eſſe ſolius Dei, etiamſi propter ipſum ſolum fiant;* INTERIORA *verò, quæ ſolus ipſe videt, ſunt illi acceptabiliora,* tanquam minimè ab humanis oculis infecta.

206 In medio eſt cor tanquam dux exercitus, tanquam Princeps, & Rex, quem omnes ambiunt. Et verò ne honoris prærogatiua intumeſceret, vicinum cordi remedium locatum eſt. Specta quæ ipſi cordi vicina, & videbis haurire facilè poſſe, vt ſe à iactantia, ac faſtu tueatur. Ventri eſt proximum ne appro-

ximet tumori, quod ſi tumeat, medicinam apud ſe habeat. Peritè Guilielmus Peraldus: *Mirum eſt quomodo homo ſuperbit; cùm cor ſuum quod eſt nobiliſſimum membrum eius, ſuper* STERCORE *iaceat.* In ſuperbiæ ſtercore non iacebit, qui ſe cor habere cogitat, quod ſuper ſtercus iacet. Dedit, ait quidam auctor, homini cor rationale, fontem cogitationum, radicem cupiditatum, ſed in eiſdem locis fecit viſcera, quæ STERCORIBVS, aliiſq; SORDIBVS OPPLENTVR, per quæ homo & comedit: vt quando cor extollitur, humiliet ipſum venter, atque ita venter, & ſtercus noſtræ eruditioni ſeruiant, & humilitatis inhalent ſpiritum.

Super ventrem cor homo habeat in ſuperbiæ remedium, non habeat in ventre in voracitatis indicium, alioquin parem aſello marino dicas, quem perhibent cor habere in ventriculo; helluones omnes, quorum omnis cogitatio de gula,

& ventre implendo eſt, marinum aſellum referunt, homines non merentur dici.

Alij, quod mireris, in oculis cor habere videntur, aut dum terrenæ pulchritudinis capiuntur affectu, aut quia non credunt niſi quod vident; nec in latentia, & ab oculis ſubducta feruntur. Hos ſic pungit Sanctus Auguſtinus, dum ait: *Hominum multitudo non in corde cor habet, ſed in* OCVLIS, quia credunt quod vident, nec quod latet ſpectant.

207 Cor ſuperior refert, qui motum ſubiectis debet ſuis moribus, vitaq; tribuere. Auctoris boni bona ſententia eſt: *Quemadmodum* COR *omnibus membris motum præbet, ſic* PRÆLATVS *ſubditos ſuos præſentia ſua, ac bono exemplo ad virtutem mouere, ac excitare debet.* Cor in medio pectoris reſidet, vt vitam cæteris partibus impartiatur. COR, vt ille ait, *ſuperiorem refert, cuius eſt, vitam ſubditis inhalare, probis moribus, & pro-*

bæ vita exemplis. Hoc ſi non præſtet, nec muneri reſpondet ſuo, nec verè eſt, quod dicitur.

Cordis quoque figura docet, ſoliùs Trinitatis eſſe illud implere, ac ſatiare, triangulare cor eſt, adeo vt ſi totum orbem, qui orbicularis eſt, illi admoueas, & aptes, ſemper anguli vacui remanebunt, ſola Trinitas implere cor poteſt, quod eſt triangulare, inepta omnia alia. Pulchrè ille, & opportunè. *Vas rotundum in triangulari includes, nunquam plenum remanebit, anguli erunt vacui, vt vas triangulare repleas, aptare illi rem debes, quæ triangularis ſit figuræ.* TRIANGVLARE EST HOMINIS COR, *mundus, & mundana* ORBEM *referunt, ſi omnia cordi inſerantur, implere illius angulos, ne quibus, ſolus Deus Trinus, qui triangulum*, liceat ita loqui, *refert, tollere omnem eius vacuitatem poteſt, & cor ſatiare.* Mente eſt vacuus, qui rebus quæ infra Deum auferre hanc cordis ſui vacuitatem ſe poſſe cogitat.

Denique cor indiſcriminatim ad omnia corporis membra vegetationem, & calorem mittit, vitaleſque ſpiritus omnibus indifferenter ſubminiſtrat; hoc exemplo, inquit ſcitus ille auctor, Antiſtites familiarum docentur, ne IMPRVDENTI AFFECTV præ cæteris quemquam ſpecialibus dilectionis proſequantur notis: nam citò inuidentia tumultus pariet, ſæpè & exitium domui vniuerſæ: atque hanc ob cauſam putant nonnulli, odijs arſiſſe contra Ioſephum fratres, quòd ſenex Iacob ætati prouectæ indulgeret tantillum, cuius ob ſolatium, quod ex pueri captabatur lepore, & blandimentis fouebat ſupra reliquos: eratque in amictu diſpar cultus, polymita conceſſa illi veſte: ſcilicet peculiaris amoris fomenta tantam odiorum flammam pepere re. Hos qui ignes timet, vitet quæ illos fouent, & nutriunt.

CA-

CAPVT XXXVI.

Cor vtilium monitorum penu.

Cor internorum actuum in ſpiritali vita præcipuam habendam rationem docet. 208
Interioris *hominis* ratio magis habenda, quàm exterioris.
Dei *timor* in ſpirituali vita pugna. 209
Cordi præcipuè conſulendum aranea vt doceat.
Minima, & parua magni eſſe momenti *cordis* exiguitas docet. 210
Cor integrum Deo exhibendum.
In *cordis* ſacrario *Idola* Deo neglecto minimè locanda. 211
Perſtricti, qui falſa *numina* in *corde* locant, Deo exterius relicto.
Quanti referat ab omni *vitiorum* tumultu liberum habere *cor*. 212
Diuini *amoris* calore tamquam *cor* *ſuperiores* ferueant.

Cor

Cor ſanguinis fons licet fere exangue à *conſanguineorum* affectu *ſacerdotes* pręcipuè auocat. 213

A *corde* princeps, & *ſuperior* diſcat, etiam aliorum cauſa vitia vitare.

Maximi faciendum, quod ad *cordis* cuſtodiam ſpectat. 214

Cor nullum vitium patitur graue; res ad *ſacerdotes* transfertur.

208 FElix ſalubrium monitorum ſolum cor eſt, & ferax terra; nos meſſuimus aliqua, alia hîc metemus, vt tamen vberem ſerio lectori meſſem relinqueremus; libare tantùm rem volumus, non exhaurire, & quis tentet, quod nequeat perficere & ſi velit? Sed de corde loquuturus, loquamur ad cor, & verba, quæ nudis auribus ſeruiunt, præcidamus; demus ea tantum, quæ res ipſas veſtiant, & ad cor tranſmittant.

Cor dum primò in homine formatur, clamat in ſpirituali vita internorum, præcipuè actuum haben-

bendam eſſe rationem, cum interiori homine compoſito, facilè exterioris ſequatur compoſitio, ac reformatio. Boni auctoris verba ſunt: *Corpus animalis* A CORDE *formari incipit, quod cæteris membris vitam inſpirat. Semina item plantarum omnium radices primùm in terra iaciunt, quibus ramos deinde alant. Ita* SPIRITVALIS VITA A CORDE *(hoc eſt ab internis exercitijs, ſcilicet, oratione, ac meditatione, ſtudijſque deuotionis) incipere debet: vt ab hoc fonte ad externa virtutum officia velut ſuccus quidam ſpiritualis deriuetur.* Huc ſpectat & illud, quod alius auctor offert his verbis: *Cor eſt membrum primo formatum. In quo ſignatur, quod homo primo intendere debet ad compoſitionem, & ſanctificationem* CORDIS INTERIVS, *& poſtea ad componendum, & ordinandum mores, & facta exteriora.* Naturæ, imò & Dei ordinem negligunt, qui toti in exterioris hominis cuſtodia, & cultu, cordis cu-

ram reijciunt, verè perfectionis cultores externi, atque hoc ipſo cultores non veri.

209 Cor, quod in homine primum formatur, indicat quoque in ſpirituali vita Dei timorem rebus cæteris ſubſternendum: Vt in principe animante, inquit ille, non ſimul effici omnia membra, doctiſſimus putat Ariſtoteles, ſed fieri COR primum, deinde alios artus, & ſenſuum veluti pompam, & apparatum ſuccedere. Ita neceſſe eſt Dei metum ædificatorem bonæ conſcientiæ, vt COR nobile, ſpiritu, & motione pleniſſimum, vt viuam radicem efflorescentium animi ornamentorum præcedere. Nec alienè timorem cordi pariauimus, nam continuo motu ſe veluti, timere indicat. Benè verò in præcipua hominis parte timoris locauit Deus caſtra, vt vel hinc diſceremus, Dei timorem, principem pietatis partem eſſe.

Aranea telam ſuam alicubi diſruptam

ruptam reparatura à medio incipit, quo docemur hominis veteris reparationem à corde inchoandam eſſe, vt nihil actum putemus niſi cordi conſulatur. Rem paulò aliter pius quidam auctor verſat: *Sicut*, inquit, ARANEA *in medio telæ ſuæ, quaſi in minutiſſima arce reſidens, omnem motum factum in quacunque parte telæ ſentit, & ſtatim vbi fuerit fractura, orditur & reparat eam: ſic anima in* CENTRO CORDIS, *quaſi in medio ſui exiſtens, qualecumque damnum ſentit, vt illud reparet per confeſſionem, ſeipſam euiſcerando, & interiora ſua ſacerdoti detegendo*. Aranearum opus texet, qui ab aranea non diſcit reparationem ſui à corde inchoare.

Si magnitudinem ſpectes, cor in homine exiguum eſt, ſi dignitatem, maximum eſt, vt ſtatim diſcas rem non à mole metiri, ſed à virtute. Hinc quoque habes minima in ſpiritus via non minimi facienda, cum in corpore quoque ſæpè quæ mino- 210

ra, ſint magis neceſſaria. Pulchrè Ioannes Euſebius rem ad minimarum regularum obſeruationem flectens, ait: *Nulla eſt excuſatio contemnenti regulas, quia minima videantur præſcribere. Præterea quia ſæpè* PARVA IPSA MAGNI MOMENTI SVNT, *& maioris quàm ea quæ magna apparent. Cor minus membrum eſt quàm crus, attamen ſine corde viuere non poſſumus, & neruulus exiguus in corpore humano magis neceſſarius eſt, quàm alia membra. Et quid magis exiguum quàm pupilla oculi, & quid magis cuſtodimus?* Exiguum cor eſt, vt mente non ſit integer, qui integrum Deo non ſacrat. Non hoſpitatur Deus pro maieſtate diuina in particula humani cordis, cùm totum opus ſit; idcircò cum tantumdem dæmoni datur, quantum Deo iniuria Dei eſt, qui non requirit dimidium dumtaxat COR, SED INTEGRVM. Fili, inquit, præbe mihi cor tuum; & in capite legis commendatur, diligere Dominum

minum Deum tuum ex toto corde tuo. Cùm igitur Deum æquemus nobis, ſiue potius dæmoni, iuſtiſſimè Deus deſeret partem, cum debeamus pluſquam totum.

Inter cordis titulos hic fuit, quo 211
Dei ſacrarium eſt dictum; in illo præcipuè Deus inhabitat; Et audebit aliquis à ſuo ſacratio eijcere Deum, & illius loco Idola ſtatuere, quæ colat, quibus iugiter operetur, & non hoc præſtat, qui impuras cogitationes admittit, noxia deſideria concipit? Iure eum, qui ad hanc impietatem peruenit pungebat Beatus Thomas à Villanoua, dum ait: *Audes tu ò ſacrilege, in pectoris tui* SACRARIO, *quod Deus inhabitat,* *turpia* IDOLA, *& nefandas imagines carnalium cogitationum, & ſpurciſſimorum deſideriorum inuoluere? Putas ne Deus tali dignabitur conſortio? tali commertio ſociabatur.* Impiè facit, qui in corde ſuo idolis fouet, Deo vero neglecto.

Plerique in cordis penetrali falſa numina

numina ſtatuunt, Deum exterius relinquunt, cui præcipuus locus debebatur, ſatis ſibi feciſſe videntur ſi exhibita potiori cordis parte reijciendis idolis, in extimam, ignobilioremque Deum reijciant. Præſtat hîc ſiſtere, quæ Ioannes Euſebius habet: *Sunt*, inquit, *in domo* CORDIS *noſtri multæ manſiones, porticus, & cubicula; quare licèt Deum per gratiam habeamus in nobis, non ſemper in cubili honoratiori illum hoſpitamur; non in penetrali cordis, non in fundo animæ, non in ara ſua illum collocamus: imò neſcio quæ* IDOLVLA *noſtræ voluntatis ibi repoſita colimus,* DEVM AVTEM IN PORTICV ANIMÆ, ET QVASI EXTERIVS RELINQVIMVS; *neque in eum locum ſinimus introduci, vbi anima ſuam quietem, & voluptatem habet, obſtantibus tanquam ſeris quibuſdam prauis affectiunculis rerum mundanarum, & ſæcularibus deſiderijs.* In honoratiori animæ parte qui Deum non locat, non meretur Dei præ-

ſentia

ſentia honorati. Quid hîc illi, qui idolorum admittunt vitia, Deum penitus excludunt à corde?

Quanti referat cor ab omni vi- 212
tiorum tumultu liberum habere, ab omni nequitia, & malo, egregiè ex Sancti Auguſtini mente quidam explicat, dum ait: *Beati qui gaudent, quando* INTRANT AD COR SVVM, *& nihil mali ibi inueniunt.* Rem illuſtrat eleganti ſimilitudine eorum, qui malas domi habent vxores, & Xantippæ geminas. Hi prodeunt in forum læti, vt è piſtrino ſoluti, & cum amicis genialiter agunt: ſed cùm domum reueniendum eſt, animi angore, & mæſtitia conficiuntur. Intraturi ſunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad euerſiones, quia non eſt domus compoſita. Hoc ipſum ait euenire hominibus, qui cor habent ſordibus vitiorum pollutum, aut turbidis motibus agitatum, ad quod nemo lubens diuertat. Vnde concludit eſſe mundanum: fore

enim,

enim, vt tum intus mirifica animi conſolatio percipiatur. Aufer, inquit, inde cupiditatum ſordes, aufer labem auaritiæ, aufer tabem ſuperſtitionum, aufer ſacrilegia, & malas cogitationes, odia non dico verſus amicum, ſed etiam aduerſus inimicum; aufer iſta omnia, intra cor tuum, & gaudebis ibi. Sed alia, quæ cordis naturam, ac conſtitutionem tangunt tangamus, & vtilia ex omnibus monita decerpamus.

Cor natura calidiſſimum eſt, nec aliter debebat, vt calorem in alia membra transfunderet; quæ res ſuperiores monet, & qui alios ex munere erudiunt, vt diuini amoris calore arceant, ſi cæteros volunt accendere. Pulchrè nuperus auctor rem verſat: Cor membrorum omnium calidiſſimum natura formauit: quia ex eo tanquam ex caloris fonte ad membra omnia vitalis calor manat. Qualis ergo Epiſcopus, qualis Prædicator futurus eſt, qui in ſpirituali Eccleſiæ

corpore inſtar cordis eſt, quod ingenti CHARITATIS SVÆ ARDORE, algentia hominum pectora, quæ ſunt velut huius corporis membra, in amorem ſui conditoris accendere debent? Inſtar cordis non eſt ſuperior ſi charitatis calorem in alios non tranſmittat. Sed & ſanguis etiam cordis, loquax eſt. Eius audiamus vocem.

Cor ſanguinis licet principium 213
ſit, exangue tamen ferè eſt, quod Sacerdotibus in hunc modum aptat ſcitus ille auctor: *Cor*, inquit, *origo ſanguinis eſt, cum in ſe ipſo exiguum contineat, ſed puriſſimum humorem ſanguinis, vnde cum ſcinditur paruula ſtillicidia ſanguinis effundit; vt diſcat* SACERDOS, *qui quotidie bibit de ſanguinis dominici fonte, quod debet eſſe* EXANGVIS, *& ſine humore ſanguinis viuere*; ab omni ſanguinis affectus alienus. Sanguinem cum Chriſti libat, nihil aliud, quod alium ſanguinem ſapiat, ipſe ſapiat.

A corde diſcere princeps, & ſuperior debet vitia non ſui tantùm cauſa vitare, ſed & ſuorum, facilè enim in ſubditos tranſmittitur labes, qua ſuperior inficitur, ſicut cor in cætera membra deriuat, quod in ſe habet. Scitè ille: Quod COR eſt in corpore animantis, ideſt PRINCEPS in Republica: Si cor ſincerum eſt, quoniam ſanguis ſpiritum fons eſt, vitam impartit vniuerſo corpori: ſin vitiatum fuerit, exitium adfert membris omnibus: Verùm vt ea pars in corpore animantis omnium poſtrema ſolet corrumpi, & in hac extremas vitæ reliquias ſupereſſe putant, ita decet Principem. A vitio ſe immunem ſeruet, vt ſeruet alios, malum quo ipſe afficitur tam facilè cæteris affricabit, quàm cor morbum quo laborat, cæteris cõmunicat membris.

214 Cordis ipſius natura, quæ tam delicata, vt ei maximè officiat quilibet ictus, qui alioquin alteri parti parum noceret, indicat maximi

ximi faciendum quod ad cordis cuſtodiam ſpectat, licet leue aliunde putetur. Præſtat audire, quæ ab alieno calamo ſunt, & non ſunt ab eo, quod tangimus aliena; Opportunè Ioannes Euſebius: *Delicatiſſimum membrum eſt* COR, *leuis paſſio eius moleſtiſsima eſt; lenis vulneratio lætifera eſt corpori, ſic ſpiritum qualibet negligentia in cordis cuſtodia nimium lædit*. Nimis eſt leuis, qui in cordis cuſtodia peccare leue putat.

Denique cor, vt Ariſtoteles ait, *nullum vitium patitur graue*: ad Sacerdotes hoc bonus ille auctor transferebat, aptabat hoc viris Dei cultui ſacris; *nec Sacerdotem*, inquit, *ſicut nec cor nullus deprauatus affectus, nullum crimen debet tangere; in oculis nubecula in facie macula in capite deformitas admittatur, ac* DEI *SACERDOS*, QVI COR EST, *ſcelus nullum debet admittere, nullum animi morbum*. Videant quàm à ſuo munere abeant, qui ea admit-

mittunt vitia, quæ in alijs quoque damnarentur. Ineptè ſibi de dignitatis culmine blanditur, qui malis moribus ſe cæteris ſubſternit, & illis, qui ex vulgi fæce ſunt, morum vilitate ſe poſtponit.

CAPVT XXXVII.

Cordis motus quid clamet, ad quid nos inuitet, & moueat.

Dei ſapientia in *cordis motu*. 215

Molendinum vt hominis *cor* referat.

Vitæ ſpiritualis perſeuerantia ex *rigore*, & benignitate. 216

Peritura vt *faſtidiamus*, æterna vt ſuſpiremus *cordis motus* docet.

Cor aſſiduo *motu* aſſiduus ad bonum monitor.

Ægrè *ſuperior* ad bonum alios moueat, niſi & ille moueat ſe. 217

Te-

Tenacitatem, & *auaritiam* cor ſuo motu damnat.

Noxius *concupiſcentiæ calor* temperandus ex *cordis* magiſterio. 218

Pulmonis officium iram, & *indignationem* mitigandam docet.

Superiores ſubditorum miniſterio indigent. 219

Debilioribus, & egentioribus præcipuè occurrendum *cor* ſuo motu clamat.

Princeps, ac *ſuperior* debilioribus magis ſuccurrat cordis exemplo.

Ad cæleſtium rerum *amorem* vt nos *cordis motus* inuitet.

Veræ *amicitiæ* forma in *cordis motu* vt appareat. 220

COrdis quoque motus nos vocat ad ſe, non erit, opinor, ſine compendio, iſtius motus conſideratio. In primis vt vbique Dei ſapientia eluceat, elucet maximè in cordis fabrica, inque cordis motu, quem ita Theophilus expendebat: *Duplex cum* 215

SIT IN CORDE MOTVS, *per diſtenſionem videlicet, & contractionem; dum diſtenditur, refrigeſcit: dum contrahitur fuliginoſa recrementa propellit. Neque ſtatim à faucibus cor ſpiritum adducit: Medius enim pulmo inter fauces, corque intercedit, idque diuinæ eſt prouidentiæ teſtimonium. Nam ſi protinus à faucibus cor aërem acciperet, rurſumque expelleret, duorum incommodorum alterum euenire neceſſe foret: aut importunè aërem lædentem immitti, aut dum nihil attrahitur, confeſtim ſuffocari. Propterea igitur Dei conditrix ſapientia, non cor ſolùm ſpirabile machinata eſt; ſed extra, pulmonem, pectuſque ipſi aërem purgantes, temperanteſque circumdedit, ſimulque per ipſorum compreſſionem vocem animali fabrefecit. Atqui intra pectoris inane, exquiſitè medium cor eſt poſitum, vt æquè totum ex pulmone refrigerium abducat, itemque vt longiùs à noxijs in pectus incidentibus, ſummotum ſit.* A corde ſuo ſuperior diſcat, non attrahere ex-

exterius aliquid, quod noceat.

Cor, ſemper mouetur, molendino non iniuria compoſueris, ſemper hoc voluitur, vt quod appoſueris in puluerem redigiat frumenti grana in farinam. Idem cor præſtat ſemper terit aliquid, niſi vtilia adieceris, circa nihil pro futura, aut etiam noxia laborabit: *Sicut* MOLENDINVM, inquit Raulinus, *velociter voluitur, ſic* COR NOSTRVM *ſemper eſt in motu, & numquam quieſcit.* Conterit quicquid primo occurrit, noſtrum eſt ne tempus terat, ſalutaria apponere, quæ conterat.

Cordis motus aliud docet dum 216
reſtringitur, & dilatatur, nempè ſpiritualis vitæ perſeuerantiam ab hac viciſſitudine eſſe, vt & diſciplinæ rigorem, reſtrictionemque amplectamur, & cum res id exigit, præſertim cum de alijs agitur, nonnihil remittamus rigorem, benignitati litemus, ſed res ita præſtetur, vt benigna illa laxitas, diſci-

plinæ reſtrictionem non tollat, ſed ſeruet.

Cordis pulſus, & motus *nos informat*, vt ille ait, *& excitat, vt cum tempore peritura faſtidiamus, & propter illa æterna cor anhelet, &* SVSPIRET. Terrena reſpuat cæleſtibus inhiet, qui cor habet hæc ſuo motu referens, ac veluti requirens.

Ipſe perpetuus cordis motus hominem monet, ne torpeat, & deſidia quadam corrumpi ſe ſinat; clamat ne terræ hæreat, ſed in cæleſtia ſubuolet, in Deum feratur. Hoc poſtremum à bono auctore eſt, ita philoſophante: *In pectore tuo admonitorem quotidie circumfers; cor ipſum leni pulſu, &* MOTV MONET, *vt animum tuum, affectus, cupidines ad Deum euehas*. Monentem ne contemne, & tacitè clamantem audi.

217 Vt motum cæteris membris cor impertiat, ſemper mouet ſe, ægrè ſuos ad opus vocet ſuperior, ſi ipſe torpeat, & noxio marceſcat otio, moueri ad bonum debet, etiam

cum alij ceſſant. *Eſt* PRINCEPS, inquit ille, *quaſi totius populi* COR, *ad cuius motum cætera membra mouentur*. Vbi cor à motu ceſſat, ceſſant omnia membra, quin mors toti corpori imminet ſtatim; tantum ſuperioris motu ſubditi indigent; vt à ſolo illius otio, vti non ſemel accidit, periclitentur.

Aërem pulmonis miniſterio cor excipit, ſed ſtatim quod exceperit reddit. Benè rem explicat Alcimus Auitus:

Additur his tenui paſcendus ab aëre pulmo,
Qui concepta trahens lenti SPIRAMINA *flatus,*
Accipiat REDDENS, REDDAT *quaſi ſumpſerit auras;*
Inq; vicem crebro pellatur anhelitus hauſtu.

Niſi ſtatim redderet quod accipit, noceret ſibi, & noxiam ſibi hanc tenacitatem, auaritiamque ſentiret. Idem princeps, & ſuperior præſtat. Accipiat redditurus,

non auidus extorqueat à ſuis vt ſerinijs condat, quod extorſerit.

218 Dum cordis hac arte calor temperatur, monemur, vt flabellum, aëremque quæramus, quo noxius concupiſcentiæ calor ita temperetur, ne nobis noceat, ſed proſit. Pulchrè ſcitus ille auctor: Quia animantium COR FERVENTISSIMO CALORE æſtuare oportebat, quo cæteris membris vitalem calorem largiretur, periculumque erat, ne nimio ſui ipſius calore abſumeretur, PVLMONIS ILLI FLABELLVM mira prouidentia coniunxit; à quo calor ille ita temperaretur, vt qui ſine eo lethalis futurus erat, per illum vitalis fiat, & ſalutaris. Idem igitur in piorum animas hunc cæleſtem ſpiritum effundit; quo noxius concupiſcentiæ calor ita temperatur, vt non modò nihil nobis noceat, ſed etiam coronarum nobis materiam tribuat, & ipſis affectibus noſtris rationis imperio moderatis ad virtutum

officia incitet, & acuat.

Sed pulmones ipſos, qui aura quadam cor aſſiduè recreant, ventilemus. Pulmo audiat, qui à pulmonis officio aliquid vtile non eliciat. Cordis æſtuantis, & pulmonis refrigerantis nexus clamat, mitigandam iram eſſe, & indignationem. Pulchrè Sanctus Ambroſius: *Quid tam ſalutare, quam vt pulmo cordis finitimo limite iungeretur, vt cum exarſerit cor* IRA, *&* INDIGNATIONE, PVLMONIS *ſanguine atque humore, citius temperetur? Ideoq; mollior pulmo eſt, quia ſuadet ſemper ſimul vt rigorem indignationis emolliat*. Rem eandem ſic alius auctor, ſed non adeo antiqui æui explicat in hunc modum: *Cor eſt* PVLMONI *vicinum, vt cum* IRA *incenditur, huiuſmodi pulmonis remedio temperetur. Sic Sancti viri* IMPETVM IRÆ *ſciunt temperare remedio rationis, per virtutem manſuetudinis*. Igitur quot motibus pulmones æſtuans cor afflant, & recreant, tot vicibus cla-

mant temperandam iram manſuetudinis veluti flabello eſſe.

219 Pulmonis miniſterio cor indiget, vt hinc appareat ſuperioribus aliorum diligentiam non ſpernendam, & ſubditorum miniſterijs indigere, qui imperant. A probo calamo hoc quoque eſt: Vt cor in corpore, quamuis ſit primarium, & cæteris nobilius membrum, tamen epate, & pulmonibus indiget: ſic PRINCEPS quamuis ſit præſtantior reliquis, tamen adminiſtris opus habet; vt ratione maximè indigeat, ſi ſe putet optimis conſiliarijs, miniſtriſque non indigere.

Cor ita in pectoris medio eſt ſitum, vt ad ſiniſtram partem parumper vergat. Qua re monemur ad eam partem flectendum, quæ debilior, occurrendum ijs; qui ad ſiniſtram ſpectant, ad læuam, peccatorum multitudine tendunt. *Cor, inquit ille, eſt miſericordia viri perfecti, quæ ſemper tendit ad ſiniſtram partem eorum, qui in* EGESTATE, *&*

& CALAMITATE *verſantur, aut vergit ad leuam eorum, qui frigore lethalis criminis opprimuntur, vt feruore ſpirituali fortes ad recta opera excitentur*. Siniſtrum vt videatur, ſolùm dexteræ, & fortiori parti opitulari, ſiniſtra, debilioriquę neglecta.

Cor vt ſe ſuis exhibeat princeps, ad debiliores ſe magis inclinet, pauperibus ſubueniat, & magis indigentibus ſe magis promptum offerat. Docti auctoris, & multorum librorum editione nobilis hæc ſunt verba: *Quemadmodum cor in medio corporis exiſtens ad ſiniſtrum latus inclinatur, quia imbecillius eſt, & in eo pulſus melius demonſtratur, ſic diuitem, potentem atque ſapientem, qui ſunt quaſi cor Reipublicæ oportet inclinari, vt pulſum ſuum in debilioribus partibus oſtendant; & pauperibus ſubueniant*. Et vniuersè debiliores promptius iuuent, infirmioreſque, vt à cordis natura abeant, qui potentiores tuentur, ditioribus opem

ferunt, pauperioribus, egentioribuſque neglectis. Aliter rem alij verſant. Faber de hac re ita philoſophatur ad cæleſtium nos amorem vocans. Licet cor in ſiniſtra corporis parte collocatum ſit, plus tamen ſpirituum mittit ad dexteram, quàm ad ſiniſtram. Eadem ratione licet animus noſter corpori ſit immerſus, & mundo huic, rebuſque temporalibus affixus, debet tamen vim ſuam multo ardentius diffundere IN RES CÆLESTES, iuxta illud ſponſæ: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: quaſi diceret res mundi huius per contemptum mihi ſubijcio, at ea, quæ cæli ſunt, totum occupant, & amplectantur cor meum. Siniſte illorum eſt ſenſus, qui ſiniſtris, terreniſq; ſe totos exhibent, affectus ſui ſinum in peritura expandunt, cœleſtia, ac perennatura negligunt.

220 Denique propenſio iſta, & inclinatio cordis in ſiniſtram potius partem,

tem, quàm in dexteram amicitiæ veræ quandam formam refert, quæ amico operam noſtrã locemus non in proſperis tantùm, quæ dextera ſignificantur, ſed & in aduerſis, quæ ſiniſtra. Scitè Vega: *Quæ vera amicitia dicitur, ſemper vniformis eſſe debet: neq; ad mutationem fortunæ mutari, ſed tempore aduerſitatis magis vigere. Vt enim* COR IN MEDIO *ſitum corporis, in ſiniſtram tamen partem magis inclinatur, & ibi magis pulſat, licet vniformiter omnibus corporis partibus vitam ſpiret: ita planè, quãuis tàm in proſperis, quàm in aduerſis, amicus, & proximus debeat fauere ſuo amico,* IN ADVERSIS *tamen multo magis*. Vt amici veri nomen verè non ſuſtineat, qui amicum aduerſis preſſum pręcipuo auxilio non erigit, & amicam manum illi non admouet, cum malè illi eſt. Ad hanc regulam ſi metiamur amicos, plures amicitiam mentiri deprehẽdemus, quos amici proſperitas quædam fictæ amicitiæ ſuperficies, vt ita loquar, veſtiebat.

CA-

CAPVT XXXVIII.

Venter quid in hominis fabrica loquatur.

Nullius *vilitatem*, infirmitatemque negligendam *venter* docet. 221
A *ferculorum* præcioſorum lautitijs nos *venter* vt auocet.
Perſtricti qui *ventrem* pro Deo habent. 222
Venter ſepulchri formam referens mortis memoriam excitat.
Ventris ſaturitate *libidinis* tela timenda.
In *ventris* munere *liberalitatis* munificentiæ exemplum. 223
Venter vacuus *cibum* quærens animam monet vt de ſuo ſit ſollicita.
In *calamitatum* hyeme feruore charitatis æſtuare *ventris* exemplo debemus. 224
Venter ignauiæ & *torporis* iniuria inſimulatus.
Ab

Ab *laborem* vt ſuperiores venter inuitet, & vrgeat. 225
Venter ferendas ſuperioribus *querelas*, & *obtrectationes* pro ſui laboris mercede doceat.

VEntrem carere auribus ſapiens quidam ab externa ſchola dixit, quia nullius poteſt verbis deliniri, nullius eloquentia vinci. Aures cum non habeat, habet, ſi attentè audiatur verba, quæ in mentis ventrem inſalubrem bonorum morum ſanguinem vertendum, mittantur. Poſſem hîc multa exhibere, ſed nolo, excitare lectorem volo, non obruere, ſed ad rem. 221

Infirmus, & imbecillis venter in homine exſtimè ſit, eſt tamen maximè ad vitam neceſſarius. Sine manibus, ſine pedibus viuere homo poteſt, ſine ventre non poteſt; vt hinc diſcas nullius infirmitatem, vilitatemque negligere, quos viliores putas, imbecillioreſ-

que,

que, totius corporis ſaluti fors magis erunt neceſſarij. Feſtiuè Vgo Carenſis: *Infirmius non eſt in homine ipſo* VENTRE, *tamen ſine eo non poteſt viuere, ſed ſine manibus, & ſine pedibus: ſimiliter eſt in Eccleſia, qui* NVLLVM LOCVM *videntur obtinere, quandoque multum ſunt neceſſarij.* Vt ab hac parte nullus ſit contemnendus, nullius opera facilè reijcienda.

Venter ab eo capite, quo cibos pretioſos à vilibus non diſcriminat, nec minus promptè illos excipit quàm iſtos, nos monet vt neceſſitati in ferculis conſulamus, gulæ illecebris repudiatis. Religio eſſet hîc ſupprimere, quæ in hanc rem habet Sanctus Auguſtinus: *Vilibus cibis veſtitur pauper, ego inquit, pretioſis, interrogo vos, quando fueritis ambo ſatiati, pretioſus cibus ad te intrat: quid fit, cùm intrauerit? Nonne ſi* SPECVLARIA IN VENTRE HABEREMVS, *de omnibus cibis pretioſis erubeſceremus, quibus ſaturatus*

turatus

turatus es? Eſurit pauper, eſurit diues ſaturari quærit pauper: ſaturari quærit diues, ſaturatur pauper de vilibus cibis, ſaturatur diues de pretioſis cibis. Saturitas æqualis eſt, poſſeſſio vna eſt quo ambo volunt peruenire. Sed ille per compendium, ille multum circuit. Sed melius inquis, mihi ſapiunt apparata pretioſa vix faſtidioſus ſaturaris: neſcis quomodo ſapit, quòd fames accendit: compendioſius eſſet ire per compendium idq; minori diſpendio. Lucri, vbique inhiant mortales hîc ſolùm negligunt. Et cum fatuus haberetur, qui in aliquem locum iturus poſſet viam contrahere faciliorem habere, & minores ſumptus facere, & nollet? Cur non amentiæ inſimuletur, qui ventris indigentiæ conſulere vilibus, & facilè parabilibus poteſt, & magnis ſumptibus præſtare id ſtudet, iter producens, expenſas adaugens, & laborem? O quando ſaniora? Ventrem ipſum, quem velut Deum colunt,

au-

audiant mortales, ne in eius cultu errent.

Dum indifferenter omnes cibos venter admittit, gulæ luxum damnat, quæ delicatiores ſectatur, viles reſpuit, & obuios. Peritè philoſophatur S. Petrus Damianus: *Quidquid ergo non ſentitur poſt gulam, idem tibi ſit, quod panis, & olera. Nam ſi gula non ſibi theſauriZat, ſed ventri. Cur ipſa quid quaſi delicatius eligit, quod* VENTER IDEM INDIFFERENTER ADMITTIT? Alioquin ſeruit ſibi non ventri gula, quæ delicias ſectatur.

222 Quid hîc illi, qui hanc ventris indifferentiam inficiunt, & omnium deliciarum delectu ventri tamquam Deo litant, vt occini illis illud Apoſtoli poſſit, *quorum Deus venter eſt?* Rem grauiter contra huiuſmodi lurcones vrget Ioannes Euſebius, dum infit: *Quid Deo, & ventri? quomodo Deus charum habebit eum, cuius Deus venter eſt charus? Quomodo ô diuina veritas,*

tas, in eo habitabit, qui amentiſſimus IDOLOLATRA *eſt. Stultiſſimum fuit olim, quod genu inclinarent iis quæ ipſi homines faciebant: quam etiam ſtultum eſt, quod tu intemperans homo inclines tuum his, quos deſtruis, ſaporibus, & cibis, & qui te deſtruent? quomodo cum Deo epulaberis, quomodo vitam cæleſtem ages, & volabis cum Deo ſuper pennas ventorum ad vitam immortalem, ſi gaudes eorum rerum vitâ, quæ hærent terræ, & fixa ſunt radicibus ſuis ſolo, & ſunt ſemiſepulta? Mortaliſſima eſt vita nutrientium ſe: vita enim plantarum eſt, quæ partim humatæ ſunt. Nutritores ventris augent mortalitatem ſuam, impinguando quod in ſe mortale eſt, freti mortaliores impediendo vitam æternam, contaminando mentem, & contrahendo animam, vt corporea ſolum fiat. Adam violato ieiunio ſtatim mortalis eſt factus: tu mortalior quotidie fis, dum mortibus ſaginaris, & auidè nutriris mortuis animalibus, & conditis vt in te humentur.* Nemo

adeo deſipiat, vt quod in ſe vilius maiori colat honore; qui ventrem velut numen colit, veri numinis verus cultor non audiet.

Venter dum mortua quæque excipit, & abſumit, ſepulchri quandam formam refert, vt mortis aſſiduam memoriam ingeneret. In ſepulchrum ſe inferendum cogitet, qui in ventrem omnia fercula mortua velut in ſepulchrum mittit. Et verò cum vile cadauer cum vilioribus indumentis ſoleat ſepeliri, cur nos ad ventris ſepulchrum, pretioſioraque omnia feremus vilitate omni hinc abiecta? Sed ſitum ipſum ventris conſideremus, nam in nudo ſitu ſita vtilia monita facilè conſtabit.

A ventris ſaturitate libidinis tela timenda eſſe, vicinitas ipſa locorum monet, à ventre non longè diſtat luxuriæ ſedes, vt illius repletio iſtius excitatio ſit: *Monſtrum ſcilicet haberetur*, verba ſunt Tertulliani, *libido ſine gula, cum duo hæc*

tàm

tàm vnita, tamque concreta ſint, vt ſi diſiungi omninò potuiſſent prius ventri pudenda non adhærerent, ſpecta corpus, & VNA REGIO EST, & quod in ſuperiorem fluit influit in inferiorem. Eòdem ſpectabat & Sanctus Hieronymus: *Venter*, ait, *& genitalia coniuncta ſibi ſunt, vt ex vicinitate MEMBRORVM confœderatio intelligatur* VITIORVM, vt fœdus quoddam inter ſe vitia habeant, quibus vtriſq; membris peccatur, ſicque qui ventri materiam adgerit, libidini etiam miniſtrat; adeovt *qui ventri*, vt ait S. Climacus, *dum obſequitur, fornicationis ſpiritum vincere vult, is ei ſimilis eſt, qui* OLEO INCENDIVM EXTINGVERE NITITVR; flammas quippè excitat, non ſopit excitatas, nec extinguit. Et Sanctus Nilus: *Neque, ait, ciborum quantitas dumtaxat, ſed etiam qualitas ignita* LIBIDINIS TELA *exacuit. Siquidem ex quouis cibi genere venter ingurgitetur paſſionum flammam excitare conſueuit.*

uit. Libidinis igitur flammas, qui vult extinctas vberiorem, quam par ſit, materiam ventri ne præbeat.

223 Ventris munus ſi ſpectemus ſeriò, liberalitatis, & munificentiæ quandam in eo reperiemus formam, & cauendæ auaritiæ monitum. Venter omnia accipit, ſed quæ accepit cæteris membris omnia ferè diſtribuit; morbos, mortemque toti inferret homini, ſi retinere ſibi ſoli vellet, quæ excepit; idem in diuitijs accidit, quæ iuuare diſtributæ poterant, nocent retentæ, & auaritiæ ſinu clauſæ. Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus: *Quemadmodum in corpore, eſt & totius corporis, & vniuſcuiuſque membri miniſterium, ſi autem fuerit vnius ſolius membri, etiam propriam perdit operationem: ita etiam in pecunijs accidit, & quod dico fiat apertius:* NVTRIMENTVM CORPORIS, *quod eſt commune, datum membris, ſi ad vnum venerit membrum, de cætero fit alienum. Nam*

cùm

cùm non potuerit conſequi, & nutrire, ab illo quoque factum eſt alienum. Sin autem factum fuerit commune, & illius & omnium eſt proprium. Ita etiam in pecunijs, ſi tu eis fruaris, tu quoq; perdideris: neque enim mercedem accipies. Sin autem cum alijs poſſederis, tunc magis erunt tuæ, & tunc & eis capies vtilitatem. Non vides quòd & manus miniſtrant, & os comminuit, & venter capit? Non dicit venter, Quoniam accepi, debeo totum detinere? Neque tu ergo hoc dicas in pecunijs. Alioquin ſunt ad mortem in arca, noxij affectus claue clauſæ, quæ ad vitam eſſe poterant in pauperes diuiſæ.

Clamat venter dum cibum vacuus quærit, vt animæ quoque ſuus cibus exhibeatur, ne deficiat. Benè Sanctus Ephræm: *Ne in corporis cura, vniuerſum tempus noſtrum inſumamus: ſed quandocumque corpus eſurit, & nutrimentum appetit; cogita & animam tuam ſuo tunc cibo neceſſario refocillari velle, & quemadmodum*

corpus

corpus niſi pane ſuſtentetur, viuere nequit, ſic & anima, niſi ſpiritalis ſapientia alimento reficiatur, mortua eſt. Deſipit qui ſuum alimentum animæ negat, & tam promptè ſuum exhibet corpori.

224 Venter hyeme calidior eſt, frigidior in æſtate; ac ſi tacitè inclamaret, tunc maximè Dei amore æſtuare quemlibet debere, cum aduerſis obſidetur. Benè bonus ille auctor: *Ventres hyeme ſunt calidiores, & conſequenter hoc anni tempore maior appetitus generatur, quia ſcilicet calor naturalis ad penitiores partes confugit ad extimas partes tendens diſſoluitur*. PARI RATIONE HYEME CALAMITATVM FERVOR CHARITATIS *internas mentis partes petens, virtutes roborat, ſicque appetitum boni operis excitat, ſed æſtate felicitatum calor charitatis diſſipatur, & appetitio recti operis deſtruitur*. Igitur qui calamitatum prætextu ſe pietatis excuſat officijs, ea in excuſationem offert, quæ eum accu-

ſent, & pro ſe adducit, quæ contra ipſum pugnant.

Venter deſidiæ inſimulatur, & otij, & tamen ſemper laborat, nullamque vacationem à ſuo munere habet etiam cum alia membra habent: Manus, inquit Aloyſius Lollinus, ſi quando labore victa, vel perfuncta opus deſerit. Idem de oculo, cum quidpiam abſque nictatione contenta obtuetur acie. Ambobus fatigationem abſtergit otium, feriæque aut indictæ, aut extortæ etiam ab inuita voluntate. Ventris haud eadem conditio eſt interdiu, noctuq; vacationem non habet laboris, ne quantumquidem luſciniæ à cantu interquieſcunt: & tamen cùm ſomnum in tam moleſto munere non ſecus ac in ſuo Conſulatu Caius, non viderit, ignauus ipſe non modò audit in gratijs, ſed vt quiſque ſupina ad opus deſidia occaluit, Venter appellatur, quaſi non aliunde profluat inertia, quam ex eo fonte, cui quod viuimus, quod

valemus oppidò debemus, adeò beneficia ipſa, & quidem immortales gratias promerita in conuicia ſæpè vertit liuor, ingratique animi peruerſitas.

225 Ventrem ignauiæ falſo inſimulari ita euincit idem auctor: Ventris mentem ſubijt conditio, ærumnoſa quidem, nec tamen cæteris membris miſerabilis, quorum ſeruitio ille mancipatus ab ingrato labore ne punctum quidem temporis interquieſcit. Vbi familia numeroſa ſatis, herus copioſus; promicondi munus innumeris eſt ſolicitudinibus exercitum, neque ideò ventri comparandum, cui præter penoris procurationem coquinaria quoque prouincia incumbit omnium vna moleſtiſſima, & quæ aſſiduam operam efflagitat; pretium verò capit opera haud ſanè dignum, obtrectationem, dum vitio illi datur vniuerſi corporis cura tam piè ſuſcepta quam ſolerter obita. Noctem munere Diuum conceſ-

ceſſam humanis artibus, vt à labore diurno conquieſcerent, ſoporeque vegetarentur tempeſtiuo, venter in opus vertit, quo nihil operoſius, nihil eſt miſerius. Cœnam enim per œſophagum affatim, auidèque ingeſtam in linguæ, palatique gratiam ipſe vigil, ſuccinctuſque excoquit, redigitque in chylum: deinde diſpenſatoris officio reſumpto venis diribitoribus vſus alituram membris quaquauerſum ſuggerit. In hoc ventri pares ſuperiores eſſe debent, vt tunc præcipuè pro alijs laborent, orent pro alijs, proque ſubditis euigilent, cum illi dormiunt. Curam illorum, qui ipſorum ſunt curæ traditi, ſuperiores habeant, vt tamen inſtar ventris ferant ſibi obijci quicquid mali paſſi cæteri velut membra fuerint; proque ſui laboris mercede, qui præſunt, accipiant omnium querelas, obtrectationeſque.

CAPVT XXXIX.

Latentes pleræq; in humano corpore partes quam vocem foras emittant.

Interiores hominis *partes* ad interioris hominis *curam* nos vocant. 226
Figuli ſunt, qui toti in exterioris *hominis* cultura ſunt.
Viſcera noſtra clamant ne vlli *officiamus*. 227
Stomachus aliorum membrorum rex.
Superior, & princeps *ſtomachum* vt referant.
Anima à *ſtomacho* diſcat cibũ ſuum non ſtatim reijcere. 228
Edendi cupiditati vt occurrerit Dei prouidentia.
Veritas ægrè cruda *digeri* poteſt.
Aliena *peccata* quodam charitatis calore concoquenda, & *digerenda*. 229
Prædicatores vt muneri reſpondeant

ſuo *ſtomachum* referre debent.
Beneficientiæ, & liberalitis imago in *venis*, & arterijs, latentibusque partibus. 230
Auaritiam vitare à natura diſcere poſſumus.
Tamquam per *venas*, & arterias *vitam* æternam per verbum facit ad omnes Deu venire. 231
Sanguis rectè monet, vt quilibet ſe intra ſuos *limites* contineat.
Obſequia, & officia inter parentes, & proximos.
Venarum exemplo vtilium monitorum ſanguinem omnibus exibeamus.
Vtile monitum ex *humoribus*, qui intus latent. 232.
Splen vt doceat mundanam *proſperitatem* æternæ eſſe mœſtitiæ parentem.

IN hominis formatione ab hominum more Deus abit, hi cum aliquam ſtatuam, aliquod ſimulachrum formant, toti in ex- 226

timæ ſpeciei pulchritudine ſunt, intima negligunt, intacta relinquunt, quia pertingere nequeat. Non ſic Deus, nam ita hominem formauit, vt in externarum partium perfectione intimas non præteriret, ſed ſummo ordine dirigeret, ſingulari prouidentia diſponeret, mira arte ſuis quæque aptare, locis. Præclarè rem verſat Beatus Gregorius Nyſſenus, dum ait: *Numquid formauit hominem quemadmodum è luto figuli aliquid effingunt, aut quemadmodum ex ære conflant aliquid ſtatuarij? minimè verò nam ſtatua quidem* EXTRINSECVS TANTVM SPECIEM AC SIMILITVDINEM PROFERT, *vidiſti quomodo ſtatua mores aliquos exprimat, exempli gratia vel iram indignationemque ſi referat Imperatorem, vel mulierum leuitatem ſi fœminam aliquam: vel aliud quipiam congruens ei, quod effingitur, quatenus arti conceſſum eſt. At opus formatum à Deo non eſt einſmodi, ſit enim hominem conflauit vt*

omnes illius partes, intus etiam informaret atque diſtingueret. Figulos referunt qui toti in exterioris hominis ſunt cultu, quæ intima, quæ potiora non curant; hi nimirùm magis homines ſpectant quàm Deum, dum ab illis extimo habitu probari quærunt, non timent ab iſto reprobari interni hominis neglectu, & placere hominibus curant, non curant diſplicere Deo.

Viſcera tunc vix nos habere co- 227
gnoſcimus, certè non ſentimus nos habere, niſi cum nos torquent, aut pungunt; qui ſanus eſt neſcit ſi ea habeat; feſtiuè Sanctus Auguſtinus rem nobis his verbis offert: *Multa habemus intus in viſceribus noſtra, quis ea noſtrum ſciret, niſi in corporibus laniatis viſcera noſtra inferiora noſtra quæ dicuntur inteſtina, vnde nouimus? Et tunc eſt bonum quando illa non ſentimus,* QVANDO ENIM ILLA NON SENTIMVS TVNC SANI SVMVS, *dicis alicui obſerua ſtomachum reſpondet tibi quid eſt ſto-*

machus? felix ignorantia: neſcit vbi habeat, quod ſemper ſanum habet. Si ſanum non eſſet ſentiret, ſi ſentiret, non bono ſuo ſciret. A noſtris viſceribus diſcamus, quales degere inter alios debeamus, ita nimirum vt officiamus nulli, ſi nos ſanos volumus probare; ſic in Cógregatione viuimus, ac ſi non eſſemus. Qui omnes lancinat, qui cæteros púngit, hic adeo non eſt ſanus vt inſanus ſit; ſed ad ſtomachum iam accedamus, qui ſalubria haud dubiè monita exibebit.

Stomachum aliorum membrorum *regem* fuit qui appellauit. Serenus:

„ *Qui ſtomchum* REGEM *totius corporis eſſe*
„ *Contendunt vera niti ratione videntur.*

Hic facit & illud Theodori Priſciani, *ſtomachus omnium membrorum ſortitus eſt* DOMINIVM, *reliquarum ſibimet famulantium poteſtas.* Regem ſe probat dum omnibus famulatur, & quicquid eſt, quicquid

habet in aliorum membrorum vtilitatem exhibet; quod imitari debent qui imperant, vt nouerint non ſibi ſolis natos, ſed ſe alijs debere & quod ſunt, & quod poſſident. Opportunè hîc inſerentur, quæ habet Sanctus Petrus Damianus: *Quod in humano corpore hoc propemodum* PRIOR *eſt in fratrum ſpiritualium congregatione, ſicut enim de ſtomachi receptaculo vigor, & robur per omnia corporis membra diffunditur: ita nimirum de benè adminiſtrato Præſidentis officio omne corpus in charitatis compage degentium vegetatur*, vt in ſuperiorem reſiliat, quòd in ſubditis gratiæ, virtutis, roboriſque, ſicut & horum debilitas tribui illius vitio poteſt.

Non ſatis ſtomacho eſt cibum 228
excipere, etiam retinet, vt ab eo non abeat indigeſtus, ex quo factum, vt interius aſper, & villoſus ſit. Idem ab anima fiat, parum eſt, ab ea vtilem cibum excipi, ſi ſtatim quod exceperit reijciat. Pul-

chrè Sanctus Gregorius: *Cibus mentis ſermo Dei eſt. Et quaſi* RECEPTVS CIBVS STOMACHO *languente reijcitur, quando ſermo auditus in ventre memoriæ non retinetur: ſed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur. Aeternæ ergo mortis periculum formidate, ſi verba vitæ, & alimenta iuſtitiæ, quæ aure percipitis, in memoria non retinetis.* In probæ vitæ ſanguinem proba monita ægrè vertantur, quæ ſtatim ac aure excepta fuerint, euomuntur.

Cibum retinet ſtomachus non ſtatim traſmittit, quod diuinæ prouidentiæ fuit, ne continua homines corriperet fames, neue edendi cupiditate ſemper laboraret. Audiri hîc poteſt Sanctus Ambroſius: *Inteſtinorum circumplexi orbes, & ſine aliquo licet nodo, ſibi tamen inuicem nexi, quid aliud niſi diuinam proſpicientiam Creatoris oſtendunt, vt non citò eſca pertranſeat, & ſtatim à ſtomacho decurrat? Quod ſi fieret* IVGIS

FAMES, *& continua vorandi libido hominibus gigneretur.* Volebat nos Deus vtiliori operi addictos, nec totos in ferculis abſumendis occupatos. In hoc Dei prouidentiam tacitè illi reprehendunt, qui tamdiù ſiccandis poculis, excipiendis, deſtruendiſque ferculis vacant, vt nudè in illis potus, eſcaque pertranſire videatur, quique tamdiù menſas producunt, tanquam cibus in inteſtinorum orbibus non retineretur. Quid boni, ordinatiq; ab illis ſperemus, qui totius boni ordinem, prouidentiamque damnant, dum inuertunt?

Stomachus quoſdam cibos crudos excipit, & digerit, alios non niſi coctos; quod ad veritatem aliqui flectunt, quæ cruda reijcitur, aſſa, & condita offerenda præſertim debiliori mentis ſtomacho eſt. Peritè ille rem verſat: *Sicut* STOMACHVS *multos cibos crudos reijcit, nec admittit niſi coctos, ſic intellectus quædam reſpuit* CRVDA, *& præcipuè veritatem. Excellentiſſimum poculum*

veritas, quæ vt digeratur non cruda, ſed aſſa, aut proponenda eſt, & prudentiæ ſale adſperſa. Ægrè tam magni caloris ſtomachum reperias, qui crudam veritatem auidè excipiat, & ſine moleſtia concoquat.

229 Præterea dum receptum cibum excipit ſtomachus concoquit; & digerit, alioquin cibum excepiſſe nihil prodeſſet, obeſſet potius; ad mores hoc quoque poſſumus transferre, vt nimirum hinc diſcamus etiam aliena peccata concoquere, & quodam charitatis calore digerere. De Chriſto quærens Palacius cur in Ciuitatibus degeret, cùm Ioannes viueret in ſolitudine hæc habet: *Quia in Ciuitate ſunt tot peccata, exiguum ſtomachum habet Ioannes ad hominum ferenda peccata, Chriſtus grandioris eſt* STOMACHI, eſt calidioris, vt digerere omnia potuerit. Aptare hoc pro ſuo quiſq; modulo ſibi debet, ſtomachum referat, aliena peccata concoquat, concoquat iniurias. Quàm delicati ſunt illi

illi ſtomachi, qui ne verbulum quidem alterius concoquere poſſunt.

Omnibus alimenta miniſtrat ſtomachus, & quod mirum omnibus apta, vt omnium ſe indigentiæ accōmodet, & vnumquodq; membrum à ſtomacho accipit, quod ſuæ aptum naturæ nouerit. Rem ad eos ſic quidam transfert, qui in Dei Eccleſia Dei verbum prædicant: Sicut STOMACHO miniſtrante, vnumquodque membrum ſuſcipit nutrimentum, & conuertit ipſum in ſe ſecundùm ſuam naturam, vt puta quod ſuſcipit iecur totum fit ſanguis, quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum, quod verò in pulmonem phlegmata fiunt, quod autem in mammillas, totum efficitur lac. Sic Sacerdotibus in Eccleſiam loquentibus verbum, omnes recipiunt, vnuſquiſque autem conuertit illud ſecundùm ſuum cor, ita & vnum idipſum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruerſis ſuſcitet ira-

iracundiam, quaſi bilis, in alijs autem operetur dilectionem dulciſſimam quaſi lac, in alijs autem odium, quaſi flegma nociuum, & expuendum. Tanti refert qua mente quis Dei excipiat verbum, vnde qui vtilia monita reſpuunt, ſunt ipſi maximè reſpuendi, & quod illis vtilia documenta non placeant non in doctrinam debent reijcere, quæ ſalubris, ſed in ſe ipſos, qui malè affecti.

230 Sunt alia, quæ in latentibus partibus latent, & eò ſalubrius in noſtra hac Anatomia ſecabuntur, quò opportunior humor à ſectione fluet, & animæ ſanandis plagis aptior. Vt quælibet in homine pars alicui ſi ipſam in ſe ipſa ſpectemus alicui morbo ſubiacet, ſic ſalutaris euadit medicina, ſi quod latenter docet, ſeriò cogitetur, & animæ morbis opportunè aptetur.

Cutem aufer, vide quæ ſub illa, venas, arterias, varias vias, ſemitas, ac meatus vbiq; ſpectabis, quibus

bus

bus ſanguis, ſpirituſque per totum corpus diffundatur; niſi enim daretur hæc membrorum inter ſe communicatio, ſtatim homini interitus immineret. Mentior ſi non hîc quandam liberalitatis, & beneficentiæ habemus ſpeciem, & auaritiæ vitandæ cautionem. Pulchrè ille: *Tot* VENAS, AC MEATVS *in homine ſunt, quibus ſanguis, & ſpiritus ad vitam ſingulis distribuitur partibus, ne ſi hæc negarentur, homo periret. In qua re* BENEFICENTIÆ IMAGINEM HABEMVS, *monemurque, vt in hominum variorum cœtu, quod quiſque habet cæteris communicet, ne ſi ſolus habere velit, mortem ſibi creet.* Ad omnes omnia permeent, vt ſanguis in homine. Huc vocari quoq; poſſunt, quæ habet Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui cum de hominis ageret opificio, hæc inter alia habet: *Quumque neceſſarium foret, vt perpetuum calori alimentum adiungeretur à natura, quando ignis per ſe durare nequit, ſi à nutrimento ſibi conueniente*

ueniente

ueniente deſtituatur: *idcircò* SANGVINIS RIVI *de iecore quaſi de fonte quodam profecti, toto corpore calido ſpiritui comites ſunt, ne ſi alterum ab altero deſereretur, morbo correpto natura interiret, de quo iniuſtos homines, & inæqualitatem committentes hoc capere admonitionis oportet, vt à natura diſcant,* AVARITIAM *morbum eſſe, qui alijs interitum afferat.* Quot infeliciter interierunt, quia has beneficientiæ obſtruxerunt vias!

231 Vita qui vera vult frui, hos meatus non impediat, ſed in ſe admittat. Præiuit in exemplum Deus ipſe, *Qui*, vt ait Sanctus Chryſoſtomus, *tanquam per* VENAS, *&* ARTERIAS, *per verbum ſcilicet facit ad omnes currere vitam æternam*, vt non tam exhibeat, quæ ad vitam, ſed vitam ipſam, nec quamlibet, ſed æternam.

Sanguis intra ſuam cuſtodiam niſi ſe contineat, ſed foras prodeat, & incerto exerret limite, aut putreſcit, aut concreſcit, aut ſi affatim

tim exundet, animæ corporiſque diuortium facit. Quæ res vnumquemque monet vt ſe intra ſuos limites coërceat, nec foras nimis vagetur; nec aliena inuadat iura, ne mortem ſibi ereet, & alijs.

Porrò quemadmodum venæ quibuſdam in locis mutuum ſibi tradunt ſanguinem, atque recipiunt, pari modo inter propinquos, amicos, proximoſque par eſt communicari officia, & obſequia, vt nullus ſibi ſoli natum putet.

Venæ ſanguinem continent, & cæteris membris communicant, vt nunquam illo deſtituantur, quia in re clamant, neminem debere adeò deſipere vt vtilia, ac ſalutaria monita alijs diſtribuat, quorum ſucco careat ipſe. Vtilium monitorum ſanguis exhibendus alijs, vt tamen eorum vtilitate non ſit viduus, qui illa alijs offert.

Ex humoribus, qui intus latent, 232
vtile, ſalubreque monitum peritus quidam in pietatis ſtudio medicus

elicuit, dum ait: *Vt ex debita humorum corporis noſtri, & æquali proportione, atque menſura (in quo ſanitatem ſitam eſſe medici ſtatuunt) purus, & venuſtus faciei color, & decor non fucatus, & ementitus apparet, ita ex animo compoſito, & deuotionis ſtudijs affecto, ſimilis in externo homine honeſtatis ſpecies fulget*; ex quo fit vt interioris hominis compoſitio in exteriorem ſe ſtatim effundat, & exterior habitus index ſit interioris. Vnde malè quidam toti in externi hominis cura ſunt, interiore neglecto, cum ab iſtius moderatione ſequatur illius; nimirum ſui externus eſt cultor, qui externi cultor eſt, interniorem partem, præcipuamque negligit.

Placet in riſus origine definire. Mirum eſt, quod ſplen riſus cauſa cenſeatur, cùm tamen melancholiæ ſit receptaculum, quæ res tacitè clamat, mundanam, præſentemque lætitiam æternum mœrorem, triſtitiamq; veluti præſagire. Docti auctoris

ctoris ſunt verba: *Splen in ſiniſtro locatus hypocondrio cauſa riſus eſſe perhibetur, & nihilominus melancholiæ eſt receptaculum, quæ aſſiduam mœſtitiam generare ſolet. Splen eſt ſymbolum* MVNDANÆ PROSPERITATIS, *quæ homines in præſenti vita reddit hilares, cùm tamen* ÆTERNÆ MOESTITIÆ *cauſam ſecum habeat*. Hoc ipſo incipit aduerſa eſſe mundi proſperitas, ſi blando ſuo nomine nobis imponat, vt longè ab ea mœſtitiam eam eſſe putemus, ad quam incautos citiſſimè ducit. Qui ſapit naturæ magiſterium ſequetur, mundanumque riſum, ac mundanam proſperitatem ita ſpectabit, vt ſub illo, ſub iſto æternum luctum, æternamque timeat mœſtitiam. Lachrymis eſt dignus, qui exſtimo, & blandiente riſus vultu ſe ſinit decipi.

***

C A.

CAPVT XL.

Pedes vtilia offerunt monita quibus in Dei obſequio rectè ambulemus.

Pes qui viliorem locum tenet nullum *deſpiciendum* docet. 233

Magni *infimos* ne *deſpiciant*.

Inferiores ſuo muneri non deſint, ne ſibi ipſis *officiant*. 234

Pedum ſtructura docet vt faciles per *humilitatem* deſcendamus, aſcendamus animi magnitudine.

Pedes cur homini à Deo dati.

Duo non quatuor *pedes* homini dati, ni *terrenis* incubaret, ſed in cœlum euolaret. 235

Pedes in *oratione* cur fideles attollerent; deſiderij pennis anima in ſublimia eleuanda.

Pedum munerus iuſtitiæ quoddam ſymbolum.

Pedum greſſibus ſanctitas quædam affricari vt poſſit.

Alas

Alas ad *pedes* Dei ſerui habere debent.

Pedum numerus ad Dei, proximiq; *amorem* vrget. 236

Duobus *pedibus* bene incedit qui *deſiderio* æternorum & mundi faſtidio velut duobus pedibus ambulat.

Vita & *doctrina* duo *præſulibus pedes* neceſſarij. 237

Boni *conſiliarij* neceſſitas ex *pedibus* collecta.

A *pedibus* diſcamus in Dei *obſequio* nobiſcum alios ferre.

Spiritualis *affectus* carnali præferendus; & ſpiritualia mundanis.

Eò *pedes* caput non deferant, vbi erubeſcere poſſit. 238

Senectutis vitia ægrè ſanari.

Terra ſummo *pede* attingenda, *terrena* calcanda.

PEdes, qui poſtrema humani corporis ſunt pars, in poſtremis non debent locari; ſi vtilitatem ſpectemus, quam exibent. 233

bent. Vide quid pedes doceant & biſces in Dei obſequio rectè amdulare.

Pes qui viliorem locum tenet & poſtrema eſt corporis pars, nec tamen ab alijs contemnitur membris, tacitè inclamat ſpernendum nullum eſſe. *Numquid pes*, inqut Beatus Laurentius Iuſtinianus, *qui deſpicabilior eſſe reliquis apparet, quia adhæret terræ, & ſine releuatione aliqua verſatur in luto, totiuſq; corporis pondus ſuſtinet* AB ALIIS DESPICITVR, *ſeu contemptui habetur?* Non habetur, non deſpicitur; hac eadem lege reſpici inferiores à ſuperioribus debent, vt nullum ſiue conditionis, ſiue officij vilitas à debiti honoris culmine deijciat; contemptibilem ſe reddit qui cęteros contemnit.

Vilis ſit pes, & caput ſitu, & nobilitate præſtantius, pedis tamen miniſterio caput indiget, vt hinc illi qui caput referunt, & cæteris præſunt, diſcant ſe ſolos omnia

non

non poſſe, ſed inferiorum opera opus habere. Hinc illud S. Chryſoſtomi: *Quid eſt* PEDE VILIVS, *aut quid capite honeſtius, ac præſtantius, & magis neceſſarium? Hoc enim eſt maximè inter homines, nempè caput. Sed tamen non eſt ſufficiens, neque poteſt ipſum omnia efficere. Nam ſi eſſet, ſuperuacaneè nobis adiecti eſſent pedes.* Ad homines rem transfer, nam hic quoque eadem currit ratio. Caput vti pedibus debet, non ſpernere, quia infimo ſint loco poſiti, nec ſuperioris eſt infimæ ſortis homines ſpernere, & illorum operam reijcere.

Infima hominis pars pedes ſunt, ſed tamen aliquid habent, quo oculis præferantur, vt hinc diſcant magni, ne infimos deſpiciant. Pulchrè rem verſat S. Ambroſius: *Qui maior eſt dignitate, & gradu, non poteſt ſine illo eſſe, qui humilis eſt; quia eſt, quod humilis poteſt, quod non poteſt ſublimis: quia ferrum poteſt, quod non poteſt aurum; ac per hoc honorem capiti faciunt pedes.*

pedes. *Quamuis ergo magnus ſit Imperator, neceſſarium tamen habet exercitum. Caput eſt enim corporis eius, ante ſe habens tribunos, comites, & magiſtros. His omnibus inferiores ſunt milites, & magis neceſſarij ſunt,* SICVT MEMBRA CORPORIS, QVÆ CVM INFERIORA VIDENTVR, PLVS VTILIA SVNT: *ſine oculis enim manus non operatur, &* PES *ambulans victum quærit.* Vt ab hac parte multorum iactantia comprimatur, qui maiores ſe, nobilioreſque putant, & ſunt minus vtiles, minus neceſſarij.

234 Portent pedes caput, & oculos, nec ab iſto ſe officio ſubducant, ne in illorum pręiudicium res cadat; & viciſſim oculi, ac caput non ſuperbè ſe erga pedes gerant, cum licet infimi, ſint tamen illis maximè neceſſarij. Quod eleganter ad homines, qui in Dei Eccleſia ſunt, transfert Sanctus Chryſoſtomus in hęc verba: *Sunt in Eccleſia multi, ſunt & qui ſunt in altum*

erecti,

erecti, vt caput conſiderantes, & ſpeculantes cæleſtia, ſicut oculi in capite, multum diſtantes à terra, & qui cum ea nihil habent commune. Alij autem tenent locum pedum, terram calcantes, ſed pedum ſanorum. Non enim pedibus datur vitio, quod terram calcent, ſed quod ad malum currant. Nam pedes, inquit, eorum currunt ad malum. Neque ergo, inquit, oculo extollantur, & ſuperbè ſe gerant aduerſus pedes: neque pedes oculis inuideant. Alioqui vnicuique ſua propria tollitur pulchritudo, & ſuus perfectus impeditur vſus & ſua functio, & qui inſidiatur proximo, ſibi primum ponat inſidias. Nam & ſi PEDES NOLINT *portare caput, eò quòd eſt egredi neceſſarium ſibi quoque interitum afferunt propter immobilitatem, & pigritiam. Et ſi caput nullam velit pedum curam gerere, ipſum primum læditur.* Quo exemplo diſcimus ſibi nocere, qui alijs officit, & ſua damna quærere, qui in aliena tantùm ſibi videtur ire.

Mollis præcipuè pes, & plures expreſſus in artus, & tali ſtructura, vt & deſcendere poſſimus, & alta loca ſubire. Pulchrè Lygæus:

Si iuuat hæc præter pedes inſpectare figuram,
Non ſine conſpicua ratione videbitur eſſe
Latus, & oblongus, mollis quoque multifiduſque,
Talis enim STRVCTVRA *locos ſubeamus vt omnes*
Difficiles facit, altum ſeu CONSCENDERE *murum,*
Seu lapidem, aut ſaxum, vel quiduis tale neceſſe eſt.

Nempè ille rectè in Dei obſequio incedit qui & deſcendere per humilitatem nouit, & aſcendere animi magnitudine, rerumque cœleſtium contemplatione, ſed de numero quoque pedum aliqua dicamus.

Pedes homini dati ſunt, non vt quocumque libuerit hominem ferant, ſed eò, quò neceſſitas, ac

pietas vocat; Chriſti verba ſunt, Virginem ſuam Sanctam Catharinam Senenſem alloquentis; *Pedes homini conceſſi, vt corpus deferant ad* LOCA SANCTA, *& vtilia ſibi pariter, & proximo ſuo ad laudem, & gloriam nominis mei.* A Chriſti abeunt mente, qui ad inania mundi ſpectacula, ad loca, vbi ſanctitas impugnatur, ſe ſinunt pedibus ferri.

Homini non quatuor dedit pe- 235
des Deus vt feris, & belluis, ſed duo dumtaxat ſicut auibus, vt vel à pedum ſuorum numero ſtatim diſceret in ſublimia ferri, in cœleſtia mentis alis volare. Feſtiuè Sanctus Ambroſius, cuius hæc ſunt verba: *Rectè non plures, ſed* DVO SVNT HOMINI PEDES *quaterni enim pedes feris ac belluis ſunt bini auibus. Et ideo quaſi vnus de* VOLATILIBVS *eſt homo, qui alta viſu petat, & quodam remigio volitet ſublimium cogitationum.* Inter feras, & belluas ſe numerat, qui tanquam quatuor haberet pedes totus terræ incubat, nec in ſu-

blimia mentem tollit. Auibus eſt ſimilis, qui in cœlum euolat.

Olim priſci æui fideles cum precibus darent operam in orationum clauſulis pedes attollebant, quaſi præ amore cęleſtis patriæ in cœlum euolare viderētur. Huc ſpectat Clemens Alexandrinus: PEDES ATTOLLIMVS *in extrema orationis acclamatione prompto animo, & alacri inſequi cupientes beatam illam naturam, quæ mente, & intelligentia percipitur, & vna cum verbo corpore à terra abducere conantes erectam animam, &* DESIDERII PENNIS ELEVATA *cogimus in ſancta progredi.* Vt vbique volucres referre homo debeat, & ſurſum euolare, debet maximè cum preces fundit.

Pedes duo hominibus dati in quoddam iuſtitiæ ſymbolum. Numerus pedum id Plinius quoque obſeruauit, *impar nulli eſt*: Etiam animalia muta, quæ plures, quam duos pedes habent, habent omnia pares, tanquam ab illis, ſed

præcipuè à ſe ipſo homo doceretur, vt in pedum vſu iuſtitiæ, æqualitatique litaret, diſceretque omnem iniuſtitiam vitare, & illam inæqualitatem, quæ iuſtitiam violat.

Pedibus ille benè vtitur, qui greſſibus ſingulis quodam pietatis ingenio affricat ſanctitatem. Exemplum quod miremur, imitemurque nobis Ioannes Euſebius offert, dum ait: Deuotus Pater Ioannes Suarius, quem ego adoleſcens ſatis noui Compluti & veneratus fui, hoc exercitium diuinæ præſentiæ habebat, vt quotquot GRESSVS PEDIBVS faceret, tot charitatis actus ad cælum mitteret. Sic mente peruolabat, qui gradiebatur corpore., celebrata fuit illa mulier Lacæna, quæ ad filium ex vulnere in bello accepto claudicantem dixit: Macte fili non gradum pones ſine memoria virtutis. Melior gratulatio eſt ſeruis Dei, cum gradum non ponunt ſine memoria diuinæ bonitatis. Suo Mercurio gentilitas

alas ad pedes finxerit; veri numinis veri ſerui alas, quibus in Cœlum veluti euolarent, videntur habere, dum pedum greſſibus vtuntur, vt in ſublimia, diuina, Deumque ſuſtollant nomen.

236 Pedum numerus hoc etiam hominem docet, homini dicit, & quodammodo indicit, vt ſcilicet dilectione in Deum feratur, & in proximum. Incedere vno pede non poſſumus, nec in Dei obſequio progredi niſi gemina charitate: monentem audi Sanctum Auguſtinum, cuius hæc ſunt verba: PEDES TVI *charitas tua eſt. Duos pedes habeto, noli eſſe claudus. Qui ſunt* DVO PEDES? *duo præcepta dilectionis, Dei, & proximi, iſtis pedibus curre ad Deum, accede ad illum;* vno ſi pede careas adeo non rectè incedis, vt nec incedas quidem; de neceſſario iſtorum pedum nexu ita alius auctor philoſophatur: *Sicut ad ambulandum non ſufficit vnus pes, ſed requiruntur duo, quorum alter figitur in*

terra,

terra, alter eleuatur; ſic ad ambulandum in via Domini neceſſarij ſunt DVO PEDES, *ſcilicet dilectio proximi, quæ eſt pes in terra, & Dei, quæ eſt pes à terra eleuatus;* niſi quod pes, qui in terra tantiſper figitur, ſtatim in inceſſu eleuatur, & qui eleuabatur, in terra eleuandus figitur. Quæ viciſſitudo huc nos ducit, hoc nos docet, ad proximos dum nos demittimus, ſtatim in Deum erigendam mentem eſſe, & ob Dei amorem præſtandum, quod præſtamus, rurſumque dum in Deum eleuamur, ſi neceſſitas id exigat, nos in proximi obſequium demittamus; ſicque demiſſio eleuationem ſpectet, eleuatio demiſſioni non aduerſetur, ſed potius vna alteram iuuet, altera alteram ſpectet.

Aliud ex geminis pedibus monitum elicuit Dei Mater, nam Beatam Birgittam alloquens hæc ad illam habuit: *Bonus homo tenetur habere* QVASI DVOS PEDES, *primus eſt deſiderium æternorum, ſecundus*

dus

dus eſt faſtidium mundi. Quam rectè, quàm tutò incedit, qui duobus hiſce pedibus vtitur in oratione, ac doctrina duos quoque pedes exigebat Sanctus Chryſoſtomus, ſcilicet ſententiæ veritatem, & bonos dicentis mores, alioquin oratio claudicat, ſi iſtorum vno deſtituatur.

237 Pes vnus alteri neceſſarius eſt, & alter vni; fruſtra quis conatur incedere, ſi pede altero careat, pedes duo in præſulibus præcipuè ſunt vita, & doctrina, *nec ſufficit*, inquit Bleſenſis, *vna ſine altera; vti nec ſufficit ad* AMBVLANDVM PES VNVS *ſine altero*. Ad hanc regulam ſi ſuperiores excutiamus, plures claudos deprehendemus, quos aliàs indicabamus integros, geminiſque pedibus incedere ſine vitio. Verè claudicant, qui vel vitæ vel doctrinæ pede carent.

Pes qui pede indiget vt ambulet, tacitè nobis inſinuat, alterius auxilio quemlibet indigere, nec eſſe aliquem ita prudentem, cui al-

terius

terius conſilium non ſit auxilio. Breuiter, ſed tamen plenè Sanctus Gregorius Nazianzenus: *In rebus omnibus* CONSILIARIVS *adhibetur, nam* PES PEDE, *manus manu indiget*; vt lapſus illius iuſtè timeatur, qui alterius auxilium ſpernit, alterius monita contemnit, & reijcit.

Mouent ſe pedes, ſed ſecum deferunt totum corpus, vt hinc diſcat quilibet, dum in Dei obſequio mouetur alios ſecum mouere, & communicare alijs, quod datum ipſi eſt, ne inuidus bonorum poſſeſſor audiat, ſi ſolus eſſe velit. PEDES, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *ſoli ingrediuntur, ſed non ſe ſolum transferunt, ſed etiam totum corpus transmouent; Ita tu quoque ne quod tibi traditum fuerit* SOLVS DETINE. Scilicet noſtri nos pedes docent, in bono ſi is qui præeſt præeat, facilè inde ſequi vt alij ſequantur, imitentur alij; Idem in malo accidet, ſi accidat ad malum eum currere.

Porrò

Porrò quod ad motum pedum ſpe-
ctat obſeruatum eſt, à pede dextro
naturæ quodam impulſu motum in-
cipere, quippè qui validior, velo-
ciorque, dextrum autem pedem ſta-
tim ſiniſter ſequitur. Gratia quoque
hoc à nobis exigit, imò in nobis fa-
cit, niſi hunc ordinem inuertamus.
Dexter pes affectus eſt ſpiritualis,
& præcipuè amor in Deum. Hic ſi
incipiat motum, habebit ſtatim cæ-
teros affectus, amoremque ipſum
non adeo ſpiritualem illius ſequen-
tem motum, trahit omnes ſecum ve-
rus amor. Deniq; ſi quid dextrum,
& virtutem ſapiens in homine eſt,
incipiat motum, ſiniſtrum, & à vir-
tute declinans ſequatur, ſeque à
meliore ſinat duci, ac regi. Dexte-
ra ſpiritualia ſunt, ſiniſtra munda-
na, & temporalia, hæc ſi motum
incipiant, ſi quæ carnis ſunt præ-
eant, rectus euertitur ordo; & vni-
uersè nihil non ſiniſtrum timeri
debet, cum dextera à ſiniſtris diri-
guntur, & præeuntia ſunt, quæ
opor-

oportebat ſequentia eſſe.

Ipſa pedis longitudo erigere ho- 238
minem debet, vt pedes cum vultu
ſuo iungat; Quæſierat Plotinus *cur*
PEDES *in longitudinem portendun-
tur?* Statimque reſpondet ipſe ſibi;
quoniam talis eſt FACIES, ac ſi
reſpondeat pedes vultui, nec eò pe-
des caput, & vultum ferant vbi
erubeſcere poſſit, ſic enim in in-
ceſſu vultus habebitur ratio.

Pes, vt hoc quoque adijciam,
in calcaneum deſinit, qui extrema
corporeæ molis eſt pars, quæ vt
medicæ artis periti notauere ſemel
læſa difficilem admittit curatio-
nem, quoniam à caloris fonte val-
dè remota eſt; *Calcaneus*, inquit
bonus ille auctor, *eſt ſymbolum ſene-
ctutis, quam moles vitiorum iuuentutis
premit, ideoque ſi criminibus lædatur,
difficilem ſanitatem adipiſcitur, quia
ſenum vitia, ob pertinaciam, & ob de-
fectum caloris gratiæ difficilè corrigun-
tur.* A vitijs ſe maturè homines
eximant, ſi enim ſenectutis calca-
neum,

neum, vt ita loquar, vitia corripiant ægrè currabuntur.

Denique vt in pede definiam, & plura ſignificem, quam dicam; talis meus lector ſit, vt quod de pijs hominibus dixit S. Gregorius Nyſſenus: *Terram eos ſummo tantum* PEDE ATTINGERE; in ipſum quoque quadret. Nemo adeo ita fatuus, vt terram dum pede calcat, cor terrenis ſubſternat. Obſigno, & altè inclamo.

Terrena qui affectus pede non calcat,
meretur ipſe calcari tanquam terra.

FINIS.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM,

quæ in hoc Opuſculo ANATOMIÆ SPIRITVALIS continentur.

Productus numerus eſt marginalis.

A

Aborſus.

A*Borſum* in loquendo ne quis faciat diuina gratia obſtetricante indiget. 168

Actio.

Manus, & *actionis* nexus. 189

Aduerſitas.

Nudus naſcens homo tanquam natans *aduerſitatum* fluctibus ſe iactandũ ſciat. 19

Adulterium.

Radix *adulterij* curioſa inſpectio. 121

Affectus.

Qui aliena iudicat ab omni noxio *affectu* ſit immunis. 84

Superior ab omni prudenti *affectu* ſit immunis, æqualiter omnes reſpiciat vt cor membra. 207

A nimio *affectu* liber ſit, qui alios iudicat. 180
Spiritualis *affectus* carnali præferendus; & ſpiritualia mundanis. 237

Alienum.

Fæneratoribus comparati, qui *aliena* tractant domi ſuæ non ſunt. 3

Ambidexter.

Ambidextri vt eſſe debeamus. 193

Amicitiæ.

Fraternæ charitatis, & *amicitiæ* exemplar in membris. 49
Veræ *amicitiæ* forma in cordis motu vt appareat. 220

Amor, Amare.

Tunc præcipuè proximus *amandus*, cùm nos non amat. 37
Membrorum vnitas, & conſenſus ad mutuum nos *amorem* vocat. 37
Voluntas niſi priuatum *amorem* exuat recta in Deum ferri nequit. 124
Amor manus animæ vt Deum teneat, terrena reijciat. 195
Ad cæleſtium rerum *amorem* vt nos cordis motus inuitet. 219
Amor animæ comparatus, quia nunquam debet mori. 51
Diuini *amoris* calore tanquam cor ſuperiores ferueant. 212
Propinquorum amor cum Chriſti, & cæleſtium *amore* non cohæret. 122
Diuini *amoris* ignis maculam omnem tollit. 33

Capillorum ſimilitudine terreno *amore* an quis teneatur probatur. 98

Anatomia.

Quàm vtilis ſui *anatomia* ſit. 6

Anima.

In *anima* perficienda, nec minima negligenda vt naſus doceat. 140
Quò excellentior *anima*, eò perfectiores actiones debet promere. 64
Vnitas, & pax, *animæ*, & corporis nexu commendatur. 65
Recta intentio operis *anima*. 65
Regnum velut corpus, Sacerdotium vt *anima* eſt. 66
Anima à ſtomacho diſcat cibum ſuum non ſtatim reijcere. 228
Anima corpus viuificat; virtus, & ſcientia animam. 56
Quod *anima* in corpore, hoc Chriſtiani in mundo. 54
Obtemperet *anima* ſedenti in ſe Deo. 57
Monſtruoſitas plus in *anima*, quàm in corpore abhorrenda. 33
Veritas, & dilectio *animæ* vita. 56
Quàm amens, qui ex animo, *animæque* ſacrario diuinitatem expellit, & fæda vitia reponit. 60
Animæ in corpus, & corporis membra imperium expenditur. 59
Quod *anima* corpori hoc Deus animæ. 65
Mentis, & *animæ* canities maximè probanda. 102

Nullius vilitatem contemnendam *animam* docet. 63
Cur *animæ* ſpiraculum in hominis *faciem* Deus inſufflauerit. 86
Amor *animæ* comparatus, quia nunquam debet mori. 51
Anima dum operatur, & non videtur iactantiam fugiendam docet. 55
Animæ noſtræ exemplo multa edere opera debemus. 54
Inuiſibilis *anima* in inuiſibilem Deum nos ducit. 55
Curuam gerere *animam* quàm ſit monſtruoſum. 15
Animæ ſplendor per membra, membrorumque actiones reluceat. 64
Ab imperio, quod in corpus *anima* exercet diſcat ipſa Deo obedire. 57
Anima humana hominis gloria cur dicta in diuinis litteris. 60
Quid præſtare *animæ* corpus debeat, à quo vitam, & motum accipit. 63
Animæ imago in vultu. 85
Rebus omnibus præferri *anima* debet. 53
Animæ, & corporis coniugium quid præſtare in animam tamquam hoſpitem debeat. 62
Caro tanquam ancilla *animæ* pareat. 76
Corpus impendere quid *animæ* debeat, dum tot bona ab eius præſentia accipit. 53
Curuæ *animæ*, quæ terrena reſpiciunt. 15

Animæ vnitas vnicè cuſtodiendam docet. 52
Animæ, & corporis mixtio quam arcana, & mira. 66
Nimius corporis cultus *animæ* curam impedit. 52
Curuitas *animæ* in quo ſita. 16
Ab *anima* ſua homo diſcat ſe ſe demittere, & omnibus aptare. 53
Quò excellentior *anima*, eò perfectiores actiones debet promere. 64
In *animæ* obſequium corporis membra facta. 12
Terrena haud depereat *anima*, ne pereat. 51
Animæ cura potior homini ſit, quem corporis. 12
Corporis deformitas *animæ* pulchritudini nihil officit. 53

Animus.

Oculus *animum* exoculatum ſæpè reddit. 124
Animus corporis ſui rector. 57
Animus corporis imperator imperare debet, non ſubijci. 62
Animi venuſtas quærenda. 30
Caro *animi* catena. 71

Aqua.

Ex oculis *aqua* ſtillat, qua totius corporis abluatur fæditas. 123

Aranea.

Cordi præcipuè conſulendum *aranea* vt doceat. 209

Aratrum.
Diſciplinæ *aratro* caro exercenda. 73
Arx.
Mens in capite velut in *arce*, aut capitolio. 91
Aſpicere.
Hominis nomine indignus, qui ſurſum non *aſpicit.* 18
Auaritia.
Ex charitate non ex *auaritia* exhibenda, quæ damus. 188
Tenacitatem, & *auaritiam* cor ſuo motu damnat. 217
Auaritiam vitare à natura diſcere poſſumus. 230
Aucupis.
Deformis contra pulchritudinis *aucupes* tuta. 32
Auditus, Audire.
Auditus vſu non quærenda quæ carnem ſapiunt, ſed quæ ſpiritum redolent. 137
Plura *audire* hominem debere, quàm loqui aurium geminatio indicat. 131
In *audiendo* firmi, & quieti debemus eſſe, 137
Auditus rationi aptetur. 137
Auriga.
Aurigæ munus vt in corpus anima exerceat. 58
Auris.
Auris ſemper aperta quid doceat. 136
Aures ſpinis ſepiendæ vt tota mentis poſſeſſio cuſtodiatur. 133

Inanibus ſermonibus, & detractionibus *aures* occludendæ. 134
Ab *auribus* quiſque diſcat alios non *lædere.* 132
Aurium flexuoſi ſinus quò ſpectent. 132
Iudicum nota ex *auribus.* 135
Bilances *aures* referunt; iuſti ponderi eſſe debent, quæ excipiuntur. 134
Aurium templa ſanctis ſermonibus excipiendis. 133
Auribus ſalutaria excipienda non noxia. 134
Auxilium.
In aliorum *auxilium* nos natos membra noſtra clamant. 44

B

Barba.
QVāti referat Chriſto hærere ſimilitudine à *barba* pilis ducta explicatur. 184
Qui *barbam* alunt regem referunt, regiam circumferant mentem. 184
Barba virorum corona vt coronis digna præſtant, qui eam geſtant. 182
Primam qui *barbam* deponit deponat ea, quæ puerilem ætatem ſapiunt. 184
Barbæ prolixitas hominem monet, ne indignum aliquid præſtet hoc decore. 182
Barba viri ſignum, & virtutis indicium. 181
Beatus.
Beatorum mens vna, idemque ſenſus. 105

Beneficientia.

Beneficientiæ, & liberalitatis imago in venis, & arterijs, latentibuſque mentibus. 230

Beneficium.

Ex corde prodeant *beneficia*, quæ in alios conferimus. 188

Inſtar oculorum viciniora Dei *beneficia* nõ agnoſcimus, agnoſcimus ijs priuati. 119

Benignitas.

Gingiuæ duris dentibus additæ, duritiem *benignitate* temperandam clamant. 154

Bilanx.

Bilances aures referunt; iuſti ponderis eſſe debent, quæ excipiuntur. 134

Blanditiæ, Blandiri.

Blanditijs feræ manſueſcunt, caro proteruior fit. 68

Corpori qui *blanditur* efferat. 70

C

Calamitas.

IN *calamitatum* hyeme feruore charitatis æſtuare ventris exemplo debemus. 224

Calor.

Noxius concupiſcentiæ *calor* temperandus ex cordis magiſterio. 218

Caminus.

Caput totius corporis *caminus*. 93

Canities.

Ad vitæ littus, terminumque perueniſſe ſe cogitet, qui *caniciei* ſpumam in ſe videt. 102

Mentis, & animæ *canities* maximè probanda. 102

Proba *canities*, à qua nigredo peccatorum abeſt. 103

Canitie tamquam pluma vtamur vt in cæleſtia euolemus. 103

Capillis, Capillitium.

Capilli dum caneſcunt, vitæ finem adeſſe docent. 101

Capilli nutrire vt mentem poſſint vtilium monitorum exhibitione. 97

Capilli æqualitatem, & vnitatem ſeruandam indicant, dum tondentur. 98

Capillorum ſimilitudine terreno amore an quis teneatur probatur. 98

Capillitium maculandis aliorum mentibus quænam adhibeant. 100

Caput.

Ijs, qui in Republica *caput* referunt quid præſtandum. 94

Capitis honor, & decor cæſaries. 97

Capitis figura vt cælum referat. 92

Caput totius corporis caminus. 93

Qui ſurſum habet *caput*, habeat & mentem. 91

Chriſto velut *capiti* iungantur, qui meritorum eius influxu cupiunt gaudere. 96

Carò.

Caro docet in noſtra poteſtate eſſe, vt ſauciemur non vt curemur. 76

Lenitas *carnis* quàm timenda. 68

Caro animi catena. 71

Carnem dura conuulnerant, ſpiritum mollia necant. 72
Caro vt ſecundùm animam viuat, viuat anima ſecundùm Deum. 78
Per *carnem* Chriſti cognati effecti ſumus. 74
Carnis tractabilitas obedientis forma. 67
Carnis deſideria temperare debemus, ſi euellere non poſſimus. 99
Auditus vſu non quærenda quæ *carnem* ſapiunt, ſed quæ ſpiritum redolent. 137
Carnis nullam, aut exiguam curam habendam caput docet. 93
Domeſticus hoſtis *caro*. 71
Carnis hoſtilitas deſcripta. 69
Blanditijs feræ manſueſcunt, *caro* proteruior fit. 68
Chriſtus *carnem* induit, ne per carnem ſe quis poſſet excuſare. 74
Macerata *caro* mentem illuminat. 69
Diſciplinæ aratro *caro* exercenda. 73
Ab alienorum rapina nos *caro* noſtra vt auocet. 73
Per *carnis* velamen ſuperi liminis radij excipiendi. 75
Mentis vigor obtunditur ſi luxuria *caro* diffluat. 75
Caro dæmonum nutrimentum delicijs haud nutrienda. 70
Carnis imbecillitas docet carnis eſſe ſpiritui ſubijci. 77
Carnis lenitas manſuetudinem, & humanitatem docet, 67

Caro elationis remedium. 77
Carnis eſt ſpiritui obtemperare. 72
Caro tanquam ancilla animæ pareat. 76
Mediocritas in *carnis* cura ſeruanda. 78

Cepe.

Hominum leuitas, qui pro rerum terrenarum *cepe* animam vendunt. 61

Character.

Virtutis *character* vultus. 89

Charitas.

Ex *charitate* non ex auaritia exhibenda, quæ damus. 188
Ad mutuæ *charitatis* obſeruantiam nos membra noſtra informant. 36
Fraternæ *charitatis*, & amicitiæ exemplar in membris. 49

Chriſtianus.

Quod anima in corpore, hoc *Chriſtiani* in mundo. 54

Chriſtus.

Chriſtus carnem induit, ne per carnem ſe quis poſſet excuſare. 74
Chriſto velut capiti iungantur, qui meritorum eius influxu cupiunt gaudere. 96
Coma noſtra ſit *Chriſtus*. 103

Cibus.

Gulæ anguſtia à *ciborum* lautitijs nos auocat. 177
Poſt traiectum *cibum* cibos non diſcriminari ad temperantiam nos vrget. 179
Venter vacuus *cibum* quærens animã monet vt de ſuo ſit ſollicita. 223

Cithara.

Linguæ *cithara* ad diuinę legis ſonum temperetur. 166

Citharæ corpus comparatum. 10

Cælum.

Capitis figura vt *cælum* referat. 92

Senſuum vſu in *cælum* ſicut aues volare debemus. 81

Cælum ſub pedibus habere, & negligere cœleſtia monſtruoſa res eſt. 92

Cæleſtium rerum contemplationi natum hominem, caput hominis indicat. 92

Nuditas expeditos nos ad *cęlum* facere debet. 21

Cælum, terramque amare impoſſibile oculorum docetur exemplo. 122

A palpebrarum pilis tãquam hominis magiſtri hominem docent, vt *cęleſtia* contempletur. 129

E *cęlo* originem ſe ducere à ſe homo diſcat. 129

Cogitatio.

Terrenæ *cogitationes*, & leuia peccata horrendum monſtrum vt forment. 96

Cognitio, Cognoſcere.

Difficilem eſſe ſui *cognitionem* vultus monet. 90

Nulla melior ſcientia, quam illa, qua *cognoſcit* homo ſe ipſum. 34

Color.

Optimus ornandæ faciei *color* pudor, & verecundia. 87

Virtutis decor; virtutis *color*. 31

Coma.

Coma noſtra ſit Chriſtus. 103

Aptæ mulierum *comæ* ſpiritualium acta virtutum. 101

Commercium.

Vſura in *commercijs* ſpiritualibus laudabilis. 78

Commodum.

Commodis aliorum vt ſe homo aptet, membra ſua ſpectet. 26

Communicare.

Noſtra cæteris *communicanda* nares vt doceant. 142

Compati.

Alteri, & maximè Chriſto vt *compatiatur* homo, hominis membra docent. 46

Conplacentia.

Affectu *camplacentiæ*, quæ in alijs laude digna videmus noſtra facere ſine aliorum damna poſſumus. 122

Conceptus.

Linguæ velocitas animi *conceptibus* exprimendis illam eſſe natam indicat. 164

Concionator.

Doctor, & *concionator* ſe in Scripturæ Sacræ ſpeculo videat. 118

Concordia.

Pax, & *concordia* ex interno affectu prodeat. 23

Condolere.

In proximi lapſu proximo *condolendum*. 46

Coniuges, Coniugium.

Coniuges oculos referant eiuſdem mentis ſenſu. 109
Animæ, & corporis *coniugium* quid præſtare in animam tamquam hoſpitem debeat. 62

Conniuentia.

Noxia nimia ſuperiorum *conniuentia* eſt. 38

Conſecrare.

Membra Deo vero *conſecranda*. 35

Conſideratio.

Ad ſui *conſiderationem* vt Deus hominem vocauerit. 6

Conſiliarius.

Conſiliarij opera vt quiſque indigeat. 117
Boni *conſiliarij* neceſſitas ex pedibus collecta. 237

Conſulere.

Facilè errat, qui in rebus, perſoniſq; dijudicandis affectu aliquo, vel male *conſulentis* monitis ſe ſinit duci. 109

Contrectare.

Membra tamquam aliquid Sacrum *contrectanda*. 50

Contentus.

Quilibet ſit ſua ſorte *contentus*, nec alterius bonum alteri inuideat. 47

Contumelia.

Contumeliæ nil timendæ. 175

Cor.

Surſum *cor* ſit, ne putreſcat. 202
Ad *cordis* noſtri cuſtodiam, cordis munimine

mine vt Deus nos vocauerit. 203
Mundum ab iſto mundo, rerumque terrenarum infectione *cor* cuſtodiendum, tanquam Dei ara, & thronus Spiritus ſancti. 203
Cor creaturarum diuerſorium conſtituere quàm ſit abſonum, & indecens. 204
Cordis locus ab externarum rerum tumultu vt ſe homo eximat, exclamat. 204
Cor in hominis medio Deus locauit, vt thronum ſuum illud conſtitueret. 205
Cor intus diliteſcens ſolum Deum ſpectare interiora opera docet. 205
Quæ *cordi* proxima cordi humilitatis ſpiritum inhalant, ſuperbiæ remedium præbent. 206
Nemo *cor* voracitatis ſtudio in ventre habeat. 206
In oculis quinam *cor* habere dicantur. 206
Superior tanquam *cor* virtutis ſpiritum, hominibus communicet. 207
Superior ab omni imprudenti affectu ſit immunis, æqualiter omnes reſpiciat vt *cor* membra. 207
Diuini amoris calore tanquam *cor* ſuperiores ferueant. 212
Maxime faciendum, quod ad *cordis* cuſtodiam ſpectat. 214
Cordi præcipuè conſulendum aranea vt doceat. 209
Cor integrum Deo exhibendum. 210
Molendinum vt hominis *cor* referat. 215

Veræ amicitiæ forma in *cordis* motu vt appareat. 220
Peritura vt faſtidiamus æterna vt ſuſpiremus *cordis* motus docet. 216
A *corde* princeps, & ſuperior diſcat, etiam aliorum cauſa vitia vitare. 213
Perſtricti, qui falſa numina in *corde* locant Deus exterius relicto. 211
Cor ſanguinis fons licet ferè exangue à conſanguineorũ affectu ſacerdotes præcipuè auocat. 213
Debilioribus, & egentioribus præcipuè occurrendum *cor* ſuo motu clamat. 219
Dei ſapientia in *cordis* motu. 215
Noxius concupiſcentiæ calor temperandus ex *cordis* magiſterio. 218
Cor aſſiduo motu aſſiduus ad bonum monitor. 216
Cor internorum actuum in ſpiritali vita præcipuam habendam rationem docet. 208
Quod impurum, & infectum ad *cor* minimè traſmittatur. 141
Ad cæleſtium rerum amorem vt nos *cordis* motus inuitet. 219
Cor nullum vitium patitur graue; res ad ſacerdotes transfertur. 214
In *cordis* ſacrario Idola Deo neglecto minimè locanda. 211
Quanti referat ab omni vitiorum tumultu liberum habere *cor*. 212
Minima, & parua magni eſſe momenti *cordis* exiguitas docet. 210

Corpus.

Corpus dignitatis noſtræ frænum, & diſciplina. 11
Corpora naues quædam, quibus huius mundi pelagus enauigamus. 7
In animæ obſequium *corporis* membra facta. 12
Oculorum tuniculæ docent *corpus* obæſum minimè reddendum. 126
Superbiæ remedium vt in *corpore* ſuo quilibet habeat. 9
Erectio *corporis* quid hominem doceat. 15
Ne effractarium *corpus* fiat, diſciplina coercendum. 10
Corporis ſtructura muſicam harmoniam vt edat. 14
Corpus virtutum ſchola. 11
Regnum velut *corpus*, Sacerdotium vt anima eſt. 66
Stata *corporis* magnitudo, non verò animi immortalitatis argumentum. 22
Corporis rectitudo cognationem cum ijs, qui in cælo degunt, hominem docet. 18
Firmior in viro *corporis* conſtitutio quid virum doceat. 11
Elementa, quæ *corpus* formant, quid moneant. 8
Nimius *corporis* cultus animæ curam impedit. 52
Corpore vti debemus tanquam ſcala. 8
Animæ cura potior hominis ſit, quàm *corporis*. 12
Corpus impendere quid animæ debent, dũ

tot bona ab eius præſentia accipit. 53
Humani *corporis* fabricam Deus cur non laudarit. 30
Citharæ *corpus* comparatum. 10
In ſuo *corpore* Deum portare vt quiſque poſſit. 10
In *corporis* pulchritudine minimè ſiſtatur, tranſitus per eam ad internam fiat. 29
Virtutibus ſuppleatur, quidquid *corpori* deeſt. 28
Corporis magnitudo, vnde vera celſitudo ſumenda ſit docet. 23
Corpus virtutum ſchola. 13
A Chriſti *corpore* ſeparari quiſque timeat. 38
Theſaurus ex agro humani *corporis* effodiendus. 34
Corporis venuſtate vt ſcala vtamur, qua ad Deum aſcendamus. 29
Concupiſcentiam, & iram ponere à ſui *corporis* formatione homo diſcat. 9
Quod anima *corpori* hoc Deus animæ. 65
Animus *corporis* ſui rector. 57
Corpori qui blanditur efferat. 70
Magiſtri munus *corpus* exercet. 14
Exigua *corporis* menſura ſuperbiæ tumori reprimendo. 22
Humilitatis doctrina in *corpore*. 13

Corripere.

Superior licet aſperè *corripiat* mollis intus ſit. 95

Crea-

Creatura.

Creaturarum notitia diſcere ſe ipſum homo debet. 118

Crinis.

Crinis humilitatem commendat, & docet. 98
Reprehenſæ Chriſtianæ mulieres, quæ cōpoſitis *crinibus* Deum non placant, ſed irritant. 100
Perſtrictæ mulieres, quæ *crinibus* ſpectatores ferire ſtudent. 99

Crux.

Membra ſuper lignum *crucis* extendenda, vt harmonicus ſonus ab illis exeat. 10

Culpa.

Principum, qui reipublicæ faciem referunt, fædior apparet *culpa* ſi peccet. 90

Cura.

Prælati eſt noxias, & ſuperfluas *curas* velut fumum euomere. 93
Interiores hominis partes ad interioris hominis *curam* nos vocant. 226

Curioſus, Curioſitas.

Perſtricti, qui *curioſè* Cælos ſcrutantur, ſe negligunt. 2
Curioſa externorum circumſpectio quàm noxia. 4

Curuus, Curuitas.

Curuitas animæ in quo ſita. 16
Curuæ animæ, quæ terrena reſpiciunt. 15
Curuere gerere animam quàm ſit monſtruoſum. 15
Pecudum more homo minimè *curuetur*. 16

Cu-

Cuſtos, Cuſtodia.
In capite velut in arce oculi tamquam *cu-ſtodes* poſiti. 106
Quinque ſenſuum *cuſtodia* quàm neceſſa-ria. 80
Ad cordis noſtri *cuſtodiam*, cordis muni-mine vt Deus nos vocauerit. 203

D

Debilis.
D*Ebilioribus*, & egentioribus præcipuè occurrendum cor ſuo motu clamat, 219
Decipere.
Nullus alium *decipiat*, ſcandalo ne ſit. 44
Deformitas.
Deformitas pudicitiæ cuſtos. 32
Deformis contra pulchritudinis aucupes tu-ta. 32
Corporis *deformitas* animæ pulchritudini nihil officit. 33
Deliciæ.
Paradiſi *deliciæ* hic odorandæ. 140
Infantiam ſuam prodit, qui *delicias* quæ-rit. 21
Delictum.
Superiorum *delicta* nocentiora, quàm alio-rum. 50
Dens.
Dentes futuræ reſurrectionis vt nos mo-neant. 153
Mititaté à ſuis *dentibus* vt homo diſcat. 155
Den-

Dentium vſus expenditur, & explicatur. 151
Impendentis mortis prodromus *dentium* motus, & caſus. 154
Religioſorum magiſtri vt ſint *dentes*. 156
Quidam artificio *dentes* inaurabant; quî id ſanctius præſtetur. 151
Dentium natura, & qualitates viris eccle-ſiaſticis aptatur. 156
Religioſi *dentibus* comparati. 155
Homo vallum *dentium* habet ad coërcen-dos leues ſermones. 152
Dentes carnificis munus debent exercere, labentem linguam mordentes. 151
Deſiderium.
Carnis *deſideria* temperare debemus, ſi euellere non poſſimus. 99
Deſpicere.
Deſpicienda fercula, quæ ſtatim deſinunt eſſe quod ſunt. 179
Magni infimos ne *deſpiciant*. 233
Detractio.
Impropria, & *detractiones* fortiter feren-das aurium numerus docet. 131
Deus.
Dei aſſiduè debemus recordari. 141
Dei Patris exemplo à nobis non receda-mus, nec extra vag m ir. 3
In ſuo corpore *Deum* portare vt quiſq; poſ-ſit. 10
Nihil Dei ſeruus ſpiret, quod *Deum* non ſapiat. 150
Intentio primario in *Deum* dirigenda. 135
Os

Os hominis, quanti *Deus* fecerit. 146
Inuiſibilis anima in inuiſibilem *Deum* nos ducit. 55
Per dolores nos *Deus* ad ſe vrget. 83

Diabolus.

Diabolus per guſtum, & tactum cur homines maximè impetat. 82

Digerere.

Aliena peccata quodam charitatis calore concoquenda, & *digerenda*. 229
Veritas ægrè cruda *digeri* poteſt. 228

Digitus.

A *digitis* ſuis quiſque diſcat facilè in Dei obſequio flecti. 197
Digiti linguoſi dicti. 196
Falſario olim inciſi *digitorum* nerui. 201
Manus in *digitos* ſciſſa, vtilium monitorum mater. 198
Digiti ſuperfluarum diuitiarum contemptum ſuadent. 200
Digitorum ſpecies expenditur. 196
Digitorum numerus diuinorum præceptorum memoriam excitant. 199
Digiti nos docent, quî operum participes eſſe poſſimus, quæ ab alijs fiunt. 199
Rotunda, & teres *digitorum* forma nos docet, vt malos feramus potius quàm feriamus. 198
In *digitis* diſcretionis forma. 197
Digitos in latus Chriſti, quiſnam ſpiritualiter inferat. 200

Dignitas.

Hominis *dignitatem* occultare vt Deus ſtuduerit. 13

Di-

Diſciplina.

Corpus dignitatis noſtræ frænum, & *diſciplina*. 11
Ne effractarium corpus fiat, *diſciplina* coercendum. 10

Diuerſorium.

Cor creaturarum *diuerſorium* conſtituere quàm ſit abſonum, & indecens. 204

Doctor.

Doctor, & Concionator ſe in Scripturæ Sacræ ſpeculo videat. 118

Dolor.

Per *dolores* nos Deus ad ſe vrget. 83

Domicilium.

Intra pectus ſpirituale *domicilium*, cuique condendum. 187

E

Eccleſia.

Varia in *Eccleſia* munera, à pluribus ordinatè præſtanda. 27

Eccleſiaſticus.

Dentium natura, & qualitates viris *eccleſiaſticis* aptantur. 156

Edere.

Edendi cupiditati vt occurrerit Dei prouidentia. 228
Quam fatuum, totum in fercula ferri, quæ deſtruuntur dum *eduntur*. 179

Elatio.

Caro *elationis* remedium. 77

Ele-

Elementa.
Elementa, quæ corpus formant, quid monեant. 8
Erectio.
Erectio corporis quid hominem doceat. 15
Errare.
Facilè *errat*, qui in rebus, perſoniſq; dijudicandis affectu aliquo, vel malè conſulentis monitis ſe ſinit duci. 109
Exercere.
Aurigæ munus vt in corpus anima *exerceat*. 58
Exſtaticus.
Dæmonis *extatici*, qui terrenis occupantur, ſui obliti. 3
Exterior.
Ab *exteriorum* tumultibus ſe homo ſegreget, vt in Deum ſurgat. 8
Exul.
Exul pectoris ſui fit, qui interiora contemnit. 5

F

Fabrica.
Hominis *fabrica* ad operandum hominem natum inclamat. 27
Humani corporis *fabricam* Deus cur non laudarit. 30
Naſi *fabrica* expenditur. 139
Facies.
Cur animæ ſpiraculum in hominis *faciem* Deus inſufflauerit. 86

Horologium vt *facies* referat. 85
Perſtrictæ mulieres quæ *faciem* pingunt, & fucant. 87
Facies compendium pulchritudinis. 86
Fæx.
Fæces foras mittit animus perturbatus. 167
Falſarius.
Falſario olim inciſi digitorum nerui. 201
Familia.
Membrorum nexus docet in ſacris *familijs* vnius lapſum redundare in reliquos. 43
Faſtidium.
Peritura vt *faſtidiamus*, æterna vt ſuſpiremus cordis motus docet. 216
Feneſtra.
Peccatorum *feneſtræ*, imò & magnes oculi. 110
Fercula.
Quàm fatuum, totum in *fercula* ferri, quæ deſtruuntur dum eduntur. 179
Deſpicienda *fercula*, quæ ſtatim deſinunt eſſe quod ſunt. 179
A *ferculorum* præcioſorum lautitijs nos venter vt auocet. 211
A *ferculorũ* ſumptibus magnis nos abducit breuis delectatio, quæ guttur afficit. 177
Feruor.
Cauendum ne à primo *feruore* ad noxiam tepiditatem quis cadat, vox exemplo ſuo indicat. 174
Figura.
Recta *figura* hominem docet, vt cœleſtia ſpectet. 16

Figulus.
Figuli ſunt, qui toti in exterioris hominis cultura ſunt. 226
Flexuoſus.
Aurium *flexuoſi* ſinus quò ſpectent. 132
Fœnerator.
Fœneratoribus comparati, qui aliena tractant domi ſuæ non ſunt. 3
Fœtor.
Peccati *fœtorem* peccator non ſentit, ſicut nec ille, cui ſpiritus malè olet. 149
Forma.
Formæ noſtræ pulchritudo Deum fatetur artificem. 28
Frænum.
Corpus dignitatis noſtræ *frænum*, & diſciplina. 11

G

Gemma.
Splendida verecundiæ *gemma*. 88
Gingiuæ.
Gingiuæ duris dentibus additæ, duritiem benignitate temperandam clamant. 154
Gladius.
Lingua tamquam *gladius* ad defenſionis veritatem mouenda. 168
Gloria.
Anima humana hominis *gloria* cur dicta in diuinis litteris. 60
Gloriæ nomine lingua ſignificata. 159
Gula.
Gulæ voluptas in curſu, & tranſitu. 178

Gulæ anguſtia à ciborum lautitijs nos auocat. 177
Gulæ voluptatem quæ mala ſequantur. 178
Guſtus.
Stuprum *guſtui* minimè inferendum. 180
Diabolus per *guſtum*, & tactum cur homines maximè impetat. 82
Guttur.
A ferculorum ſumptibus magnis nos abducit breuis delectatio, quæ *guttur* afficit. 177

H

Halitus.
H*Alitus*, qui vt fumus ex ore egreditur incendij, & periculi latentis nos admonet. 148
Harmonia.
Bonorum operum *harmonia* commendata. 24
Muſica membrorum *harmonia*. 23
Corporis ſtructura muſicam *harmoniam* vt edat. 14
Hieroglyphicus.
Hieroglyphicis notis hominis inſignitus. 42
Homo.
Homo, planta cæleſtis, cælo dignos fructus producere debet. 7
Hominis fabrica ad operandum hominem natum inclamat. 27

Figuli ſunt, qui toti in exterioris *hominis* cultura ſunt. 226
Hieroglyphicis notis *homo* inſignitus. 42
Interioris *hominis* ratio magis habenda, quàm exterioris. 208
Homo alienè alia miratur, non ſe. 120
Sydera vt ſpectet ab oculis *homo* commonetur. 107
Homo omnibus omnia fiat vt omnes lucretur. 174
Mitis *homo* ſit ſine armis prodiens. 20
Ab anima ſua *homo* diſcat ſe ſe demittere, & omnibus aptare. 53
A ſuis membris *homo* diſcat alteri non inuidere, nocere nulli, iuuare omnes. 26
Interior cordis *homo* totus ſapientiæ, & gratiæ ſit. 41
Ab oculorum ſitu cæleſtia ſuſpicere *homo* diſcat. 107
Sui lanius *homo* fiat. 6
Ad ſui conſiderationem vt Deus *hominem* vocauerit. 6
Immanitatem *homo* ponat inermis naſcens. 20
Ab exteriorum tumultibus ſe *homo* ſegreget, vt in Deum ſurgat. 8
Veſtes non inuidit natura *homini*, ſed negauit, vt eſſet liberior. 21
Homo in hoc Angelis prælatus, quòd multa organa meritorum habet, plures ſenſus. 79
In proximi ſui auxilium natum *hominem* corporis membra indicant. 25

Vix *homo* dicendus, qui venenum ex ore euomit. 144
Ad operãdum ſe natum *homo* indicat, dum rectus apparet. 17
Recta figura *hominem* docet, vt cæleſtia ſpectet. 16
Magnum miraculum *homo*, mirari ſe debet. 1
Commodis aliorum vt ſe *homo* aptet, membra ſua ſpectet. 26
Homini maximè neceſſarium mortis inſigne. 102
Pecudum more *homo* minimè curuetur. 16
Hominis nuditas hominem docet ſe brutis parem non eſſe *fælicitate* extima, & ſeruienti. 19
Hominis nomine indignus, qui ſurſum non aſpicit. 18
Ad diuinorum præceptorum obſeruãtiam à ſuis membris vt *homo* vocetur. 41
Alteri & maximè Chriſto vt compatiatur *homo*, hominis membra docent. 46
Erectum *hominis* ſtatum conuellere Satanas ſtudet. 15
E cælo originem ſe ducere à ſe *homo* diſcat. 17
Ad vitam *homini* eſt ſe obijcere ſibi. 1
Diuinæ virtutis receptaculum *homo* eſt. 1
Hominis dignitatem occultare vt Deus ſtuduerit. 13
Animæ cura potior *homini* ſit, quàm corporis. 12

Horologium.

Horologium vt facies referat. 85

Mens, & ratio huius *horologij* rector. 167

Linguæ motus *horologio* comparatus. 167

Linguæ *horologium* prudentiæ ponderibus non careat. 167

Humilitas.

Crinis *humilitatem* commendat, & docet. 98

Quæ cordi proxima cordi *humilitatis* ſpiritum inhalant, ſuperbiæ remedium præbent. 206

Humilitatis doctrina in *corpore*. 13

Humilitatis ſchola nares vt ſint. 143

Humor.

Vtile monitum ex *humoribus*, qui intus latent. 231

I

Iactantia.

ANima dum operatur, & non videtur *iactantiam* fugiendam docet. 55

Iactantia vitanda. 47

Ianitor.

Cordis *ianitor* oculus noxia excludere debet. 111

Quinam oculus diaboli *ianitor* dicatur. 111

Idolum.

Idolis pares, qui manus habent, & non operantur. 189

In cordis ſacrario *Idola* Deo neglecto minimè locanda. 211

Ignorare.

Nemo ſe *ignoret* temporalibus rebus affixus. 5

Imbecillitas.

Carnis *imbecillitas* docet carnis eſſe ſpiritui ſubijci. 77

Imago.

Animæ *imago* in vultu. 85

Immanitas.

Immanitatẽ homo ponat inermis naſcẽs. 20

Immortalitas.

Stata corporis magnitudo, non verò animi, *immortalitatis* argumentum. 22

Imperare, Imperator.

Non ex toto ſani, qui ex toto non ſibi *imperant*; nec totos ſe pietati dant. 59

Animus corporis *imperator* imperare debet, non ſubijci. 62

Imprecaci.

Malum alteri non *imprecandum*, lex membrorum homini indicit. 47

Improperiam.

Improperia, & detractiones fortiter ferendas aurium numerus docet. 131

Impurus.

Quod *impurum*, & infectum ad cor minimè tranſmittatur. 141

Inaurare.

Quidam artificio dentes *inaurabant*; quî id ſanctius præſtetur. 151

Inconſtantia.

Vultus varia mutatio *inconſtantiæ* ſuæ hominem monet. 89

Indigere.
Nemo tam magnus, qui aliorum ope non *indigeat*. 45
Conſiliarij opera vt quiſque *indigeat*. 117
Indignatio.
Pulmonis officium iram, & *indignationem* mitigandam docet. 218
Indus.
Nares ab *Indis* ſingulari honore affectæ. 140
Infantia.
Infantiam ſuam prodit, qui delicias quærit. 21
Inferior.
Inferiores ſuo muneri non deſint, ne ſibi ipſis officiant. 234
Infernus.
Mulieres crinium colore *inferni* ignibus præludunt. 100
Ingratus.
Ingrati oculis pariati, qui nimis proxima obiecta diſtinctè intueri nequeunt. 120
Iniuria.
Iniurijs affectus de vindicta non cogitet. 49
Iniuriæ non timendæ. 175
Inſpectio.
Radix adulterij curioſa *inſpectio*. 121
Intentio.
Intentio primariò in Deum dirigenda. 135
Recta *intentio* operis anima. 65
Interior.
Exul pectoris ſui fit, qui *interiora* contemnit. 5

Integritas.
Membrorũ *integritas* quid tacens clamet. 45
Cor *integrum* Deo exhibendum. 210
Inuidus, Inuidere.
Inuidus alienæ virtutis Solem intuens viſum vt amittat. 125
Inuidentiæ remedium corporis mẽbra. 48
Nullus membrorum exemplo monitus ſuũ bonum alij *inuideat*. 39
Quilibet ſit ſua ſorte contentus, nec alterius bonum alteri *inuideat*. 47
Ira.
Concupiſcentiam, & *iram* ponere à ſui corporis formatione homo diſcat. 9
Pulmonis officium *iram* mitigandam docet. 218
Iudex, Iudicare.
Iudicum nota ex auribus. 135
Palati in dijudicandis ſaporibus natura nos docet, qui aliena reſpicienda, & *iudicanda*. 180
A nimio affectu liber ſit, qui alios *iudicat*. 180
Qui aliena *iudicat* ab omni noxio affectu ſit immunis. 84
Inique *iudicant* pecunia, & gratia corrupti. 124

L

Labor.
AD *laborem* vt ſuperiores venter inuitet, & vrgeat. 225
Virum *laboris* excitationes probent. 183

Lachryma.
Oculi *lachrymis*, & pœnitentiæ ſacrati, quia ad pœnitenda ducunt. 123
Lædere.
Ab auribus quiſque diſcat alios non *lædere*. 132
Lætari.
De alterius bono membrorum exemplo *lætandum*. 48
Lanius.
Sui *lanius* homo fiat. 6
Lapſus.
Membrorum nexus docet in ſacris familijs vnius *lapſum* redundare in reliquos. 43
Laqueus.
Laqueus incautè viſa *pulchritudo*. 32
Laus.
Affectu complacentiæ, quæ in alijs *laude* digna videmus noſtra facere ſine aliorum damno poſſumus. 122
Lenitas.
Lenitas carnis quàm timenda. 68
Liberalitas.
In ventris munere *liberalitatis*, & munificentiæ exemplum. 223
Libido.
Vētris ſaturitate *libidinis* tela timēda. 222
Lingua.
Contra *linguam* quæ tam facilè mouetur fixus quiſque ſit. 165
Lingua tamquam gladius ad defenſionis veritatem mouenda. 168

Duæ manus, vna *lingua* homini data, quia plus operari debet, quàm loqui. 190
Linguæ cithara ad diuinę legis ſonum temperetur. 166
Lingua ſine vllo ſapore quid doceat. 170
Lingua quodam carcere coërceatur. 153
Dentes carnificis munus debent exercere, labentem *linguam* mordentes. 151
Linguæ motus horologio comparatus. 167
Piſcem remoram *lingua* repræſentat. 166
Lingua extra prudentiæ regulas ſordes contrahit. 165
Linguæ ager niſi excolatur, ſpinas, & tribulos germinat. 169
Linguæ mollities dura, & aſpera verba vitanda docet. 169
Tota carnea ſine oſſe *lingua* clamat cum benignitate homini loquendum. 169
Lingua, quæ in motu non fatigatur nos docet, ne in bonis operibus laſſitudine nos ſinamus corripi. 164
Lingua clauſa velut in loco carceris. 157
Lingua velut fera in cauea oris recluſa. 157
In vna *lingua* multa venena latent. 158
Lingua clauſa tanquam res ſacra. 158
Gloria nomine lingua cur circumſcripta. 159
Perſtricti qui *lingua*, qua Chriſti corpus excipiunt impuris, noxijſque inficiunt verbis. 159
Lingua quâ peccata dilui debent, delinquere quàm ſit graue. 159

Lingua obtemperare debet rationi. 160
Lingua in vdo, quia facilè labitur. 161
Linguæ velocitas animi conceptibus exprimendis illam eſſe natam indicat. 164
Lingua vinculis de corde aptis gubernanda. 162
Linguæ frænum neceſſarium vt ſit. 162
Diaboli vehiculum *lingua* ſine fræno. 162
Lingua balneo iuncta, quia deferre ſecum baptiſmum debet. 163
Lingua cordi ligata, quid innuat. 163
Linguæ varia munera ad varia nos vocat opera. 170
Linguæ ſaliua nullum ſpernendum docet. 171
Linguæ color charitatem, & amorem ſpirare noſtros ſermones debere indicat. 171
Lingua equis igneo feruore correptis pariata. 171
Rubeus *linguæ* color clamat, vt quis verecundetur verba inhoneſta proferre. 172
Linguæ ſanguineus color ad effundendum in fidei teſtatione ſanguinem nos inuitat. 172
Rubens *lingua* ad peccatorum confeſſionem, ruboremque nos allicit. 172
Purpureus *lingua* color regiam mentem à nobis exigit. 172
Varia muſica inſtrumenta vna *lingua* vt referat. 166
Lingua velut plectrum modolatè ſonet. 165

Locare.

Membra nobis Chriſtus *locauit*, vt fructus non ſpinas parturiremus. 40

Locus.

Cordis *locus* ab externarum rerum tumultu vt ſe homo eximat, exclamat. 204

Loqui, Loquutio.

A rectitudine, qua homo præditus, rectè *loqui* diſcat, ſermoniſque emittere, qui cœlum ſapiant. 17
Plura audire hominem debere, quàm *loqui* aurium geminatio indicat. 131
Qui *loquitur* à brutis ſe præciſum, & ſeparatum cogitet. 152
Quod *loquimur* à mentis conceptu præcidendum, & reſecandum. 152
Perſtricti, qui in *loquutionis* nauigatione animæ merces proijciunt, non vt naufragium vitent, ſed vt faciant. 176
Loquuturus in conſilium alios ſenſus aduocet. 160

M

Macula.

QVi foras prodit *maculas* facilè contrahit; abolet contracta, qui ſe ſubit. 4
Diuini amoris ignis *maculam* omnem tollit. 33
Maculæ pretium rebus aliquibus addunt; idem vt hic fiat. 33

Magiſter.

Magiſtri munus corpus exercet. 14

Magnes.
Peccatorum feneſtræ, imò & *magnes* oculi. 110
Magnus.
Nemo tam *magnus*, qui aliorum ope non indigeat. 45
Malitia.
A *malitiæ* puluere cordis oculus ſeruandus. 115
Malum.
Oculus licet exiguus ingentia tamen *mala* poteſt parturire niſi cuſtodiatur. 112
Manus.
Pudoris propugnaculum *manus*. 193
Interior *manus* pars depilis, & lenis quid hominem doceat. 194
Manu opus non præſtandum, quod ruborem nobis inijciat. 193
Manus in digitos ſciſſa, vtilium monitorum mater. 198
Manus hominem monet, vt proximo ſeruiat. 189
Manibus vtendum in Dei obſequio. 191
Duæ *manus*, vna lingua homini data, quia plus operari debet, quàm loqui. 190
Manus dignitas, quæ operatur, & diſpenſat diuina myſteria. 192
Manus hominem monet, vt cum ratione, & ſapienter omnia operetur. 190
Amor *manus* animæ vt Deum teneat, terrena reijciat. 195
Integram *manum* ſuum videns, quid præſtare debeat. 201

For-

Fortitudini manſuetudinem iungendam *manus* docent. 191
Idolis pares, qui *manus* habent, & non operantur. 189
Manus dum extenditur, & contrahitur, prudentiæ magiſtra vt ſit. 194
Multarum artium miniſtræ *manus* dictæ. 189
Manus, & actionis nexus. 189
Accepta Deo victima *manus*. 192
Manſuetudo.
Fortitudini *manſuetudinem* iungendã manus docent. 191
Carnis lenitas *manſuetudinem*, & humanitatem docet. 67
Naturæ leges eiurat, qui facit *manſuetudinem* refert, moribus fera eſt. 183
Mare.
Fæces foras emittit animus perturbatus, vt *mare* algas ad littus. 167
Mediocritas.
Pulchritudo *mediocritatem* vt doceat. 31
Mediocritas in carnis cura ſeruanda. 78
Mendacium.
A *mendacio* nos auocat vox. 175
Membrum.
Pſalterium, & cythara *membra* noſtra quando fiant. 25
Muſica *membrorum* harmonia. 23
Ab otio, & ignauia nos *membra* noſtra auocant. 42
In animæ obſequium corporis *membra* facta. 12

Ad

Ad Diuinorum præceptorum obſeruantiam à ſuis *membris* vt homo vocetur. 41
Membra arma iniquitatis ne fiant. 24
Membra ſuper lignum crucis extendenda, vt harmonicus ſonus ab illis exeat. 10
In proximi ſui auxilium natum hominem corporis *membra* indicant. 25
Malum alteri non imprecandum, lex *membrorum* homini indicit. 47
A ſuis *membris* homo diſcat alteri non inuidere, nocere nulli, iuuare omnes. 26
Membra tamquam aliquid Sacrum contrectanda. 50
Ad mutuæ charitatis obſeruantiam nos *membra* noſtra informant. 36
Vnus alteri oneri ne ſit, *membra* ipſa docent. 43
Fraternæ charitatis, & amicitiæ exemplar in *membris*. 49
Membrorum integritas quid tacens clamet. 45
Membrorum nexus docet in ſacris familijs vnius lapſum redundare in reliquos. 43
Alteri, & maximè Chriſto vt compatiatur homo, hominis *membra* docent. 46
Membrorum ſymmetria, & proportio ad concordiam nos vocat. 23
Terrenarum opum rectum vſum vt corporis *membra* doceant. 38
Nullus *membrorum* exemplo monitus ſuum bonum alij inuideat. 39
Corporis *membra* Dei ſymbola, & Diuinitatis veſtigia. 42

Ordo,

Ordo, & numerus *membrorum* ad Deum transferre nos debet. 25
Inuidentiæ remedium corporis *membra*. 48
Animæ *membrum* cur oculus dictus. 129
Membra nobis Chriſtus locauit, vt fructus non ſpinas parturiremus. 40
De alterius bono *membrorum* exemplo lætandum. 48
In ſuis *membris* quilibet legit, quid præſtare in proximum ſuum debeat. 36
Ad operationem ſe natum, ex ſuis *membris* diſcere homo poteſt. 34
Membra Deo vero conſecranda. 35
Membrorum ſanctimonia haud profananda. 40
Membrorum vnitas, & conſenſus ad mutuum nos amorem vocat. 37
Animæ ſplendor per *membra*, membrorumque actiones reluceat. 64
A mutua vindicta nos *membra* noſtra auocant. 39
In aliorum auxilium nos natos *membra* noſtra clamant. 44
Membrorum vſus probatus, improbatus abuſus. 24
In aliorum ſalutem periculo ſe exponere à ſuis *membris* fideles diſcant. 37

Mens.

Qui ſurſum habet caput, habeat & *mentem*. 91
Mentis, & animæ canities maximè probanda. 102
Capilli nutrire vt *mentem* poſſint vtilium

mo-

monitorum exhibitione. 97
Mens corporis oculos ſequatur cæleſtium rerum aſpectu. 108
Capillitium maculandis aliorum *mentibus* quænam adhibeant. 100
Mens in capite velut in arce, aut capitolio. 91
Mentis vigor obtunditur ſi luxuria caro diffluat. 75
Mens, & ratio cuius horologij rector. 167
Perſtricti, qui mentum excolunt, negligunt *mentem*. 183
Notati qui puluerem à corporis oculis amouent, & *mentis* oculum criminum luto obruunt. 115

Minimum.

In anima perficienda, nec *minima* negligenda vt naſus doceat. 140
Oculorum pili clamant nihil adeò *minimum* eſſe vt ſit contemnendum. 127
Minima, & parua magni eſſe momenti cordis exiguitas docet. 210
Minima in Dei obſequio negligenda non eſſe docent capilli. 97

Miniſterium.

A ſenſibus quiſque diſcat aliorum *miniſteria* non impedire, nec aliorum inuadere iura. 81

Miraculum.

Magnum *miraculum* homo, mirari ſe debet. 1

Mirari.

Homo alienè alia *miratur*, non ſe. 120

Mititatis, Mitis.

Mititatem à ſuis dentibus vt homo diſcat. 155
Mitis homo ſit ſine armis prodiens. 20

Mixtio.

Animæ, & corporis *mixtio* quàm arcana, & mira. 66

Modeſtus.

Modeſti vultus vis. 89

Mollis.

Carnem dura conuulnerant, ſpiritum *mollia* necant. 72

Monſtruoſitas.

Monſtruoſitas plus in anima, quàm in corpore abhorrenda. 33

Morbus.

Variæ oculorum ægritudines, varij *morbi* recenſentur. 130
Quid multiplices oculorum *morbi* hominem doceant. 130

Mors.

Mortis aduentus poſt tergum minimè reiciendus. 102
Impendentis *mortis* prodromus dentium motus, & caſus. 154
Pectus ſepulchri formam referens ad *mortis* cogitationem nos vocat. 186
Homini maximè neceſſarium *mortis* inſigne. 102

Mos.

Perſtricti, qui aliena acutè vident, ſuorum *mores* ignorant, & negligunt. 119

Motus.

Dei ſapientia in cordis *motu*. 215

Cor aſſiduo *motu* aſſiduus ad bonum monitor. 216

Mulier.

Perſtrictæ *mulieres* quæ faciem pingunt, & fucant. 87

Mulieres crinium colore inferni ignibus præludunt. 100

Perſtrictæ *mulieres*, quæ crinibus ſpectatores ferire ſtudent. 99

Reprehenſæ Chriſtianæ *mulieres*, quæ compoſitis crinibus Deum non placant, ſed irritant. 100

Mundus.

Mundum ab iſto mundo, rerumque terrenarum infectione cor cuſtodiendum, tanquam Dei ara, & thronus Spiritus Sancti. 203

Munus.

Varia in Eccleſia *munera*, à pluribus ordinatè præſtanda. 27

Muſica.

Varia *muſica* inſtrumenta vna lingua vt referat. 166

N

Naris.

Noſtra cæteris communicanda *nares* vt doceant. 142

Nares ab Indis ſingulari honore affectæ. 140

Humilitatis ſchola *nares* vt ſint. 143

Naſus.

A noxio pulchritudinis amore non *naſus* auocat. 143

Naſi fabrica expenditur. 139

In *naſi* formatione & vtilitati, & pulchritudini conſultum. 139

Natura.

Ad oculorum cuſtodiam vt nos *natura* vocauerit. 112

Nauis.

Corpora *naues* quædam, quibus huius mundi pelagus enauigamus. 7

Negligere.

Cælum ſub pedibus habere, & *negligere* cœleſtia monſtruoſa res eſt. 92

Nigredo.

Proba canities, à qua *nigredo* peccatorum abeſt. 103

Nix.

Ne mentis viſum amittamus per vias incedamus, quas morum *nix*, & candor operit. 125

Nobilis.

Nobiles facilè læduntur. 50

Nocere.

Nulli *nocendum*, nullius nomen violandum oculi docent. 122

Notitia.

Creaturarum *notitia* diſcere ſe ipſum homo debet. 118

Nudas, Nuditas.

Nudus naſcẽs homo tanquã natans aduerſitatum fluctibus ſe iactandum ſciat. 19

Regia dignitas à *nuditate* potiùs, quàm à veſtibus. 20
Nuditas expeditos nos ad Cœlum facere debet. 21
Hominis *nuditas* hominem docet ſe brutis parem non eſſe fælicitate extima, & ſeruienti. 19

Numen.

Perſtricti, qui falſa *numina* in corde locant, Deo exterius relicto. 211

Numerus.

Digitorum *numerus* diuinorum præceptorum memoriam excitant. 199

Nutrimentum.

Caro dæmonũ *nutrimentum* delicijs haud nutrienda. 70

O

Obediens, Obedientia.

CArnis tractabilitas *obedientis* forma. 67
Palpebrarum pili inſigne *obedientiæ*, & temperantiæ exemplum. 128
Obedientia ſemper prompta eſſe debet. 136
Ab imperio, quod in corpus anima exercet diſcat ipſa Deo *obedire*. 57

Obſequium.

Minima in Dei *obſequio* negligenda non eſſe docent capilli. 97

Obſtetricari.

Aborſum in loquendo ne quis faciat diuina gratia *obſtetricante* indiget. 168

Ob-

Obtemperare.

Obtemperet anima ſedenti in ſe Deo. 57

Occupari.

Circa propriam vilitatem *occupari* quàm ſit vtile. 14

Oculus.

In capite velut in arce *oculi* tamquam cuſtodes poſiti. 106
Animæ membrum cur *oculus* dictus. 129
In *oculis* quinam cor habere dicantur. 206
Oculos vt ſuperiores referant quid ſuperioribus præſtandum. 129
Variæ *oculorum* ægritudines, varij morbi recenſentur. 130
Sydera vt ſpectet ab *oculis* homo commonetur. 107
In hominis ſenectute *oculos* aliquo morbo ferè infeſtari quid clamet. 130
In vertice cur *oculi* minimè poſiti. 108
Quid multiplices *oculorum* morbi hominem doceant. 130
Nocendi periculum vt in *oculis* Deus coercuerit. 124
Multi *oculo* ſimiles aliena vident non ſua. 117
Coniuges *oculos* referant eiuſdem mentis ſenſu. 109
Oculi lachrymis, & pœnitentiæ ſacrati, quia ad pœnitenda ducunt. 123
Oculorum tuniculæ docent corpus obæſum minimè reddendum. 126
Multi *oculo* ſimiles aliena vident non ſua. 1:7

In

In *oculi* ſtructura Dei ſapientia admiranda. 123
Ex *oculis* aqua ſtillat, quâ totius corporis abluatur fæditas. 123
Oculus animũ exoculatum ſæpè reddit. 124
Cœlum, terramq; amare impoſſibile, *oculorum* docetur exemplo. 122
Oculi velut ſydera fulgent. 104
Ex *oculis* doctor, & Præſul diſcat, crucem, & Crucifixum diligere. 125
Inſtar *oculorum* viciniora Dei beneficia non agnoſcimus, agnoſcimus ijs priuati. 119
Ingrati *oculis* pariati, qui nimis proxima obiecta diſtinctè intueri nequeunt. 120
Ab *oculorum* ſitu cæleſtia ſuſpicere homo diſcat. 107
Ab *oculis* ſuis quiſque diſcat proximum ſuum iuuare. 105
Mens corporis *oculos* ſequatur cæleſtium rerum aſpectu. 108
Nulli nocendum, nullius nomen violandum *oculi* docent. 122
Oculi amicitiæ corporalis proxenetæ. 121
In *oculis* perfecta vnitatis forma. 105
A malitiæ puluere cordis *oculus* ſeruandus. 115
Perſtricti, qui *puluerem* à corporis *oculis* amouent, & mentis oculum criminum luto obruunt. 115
Oculorum pulchritudo, & vſus. 104
Pudicitiæ ſulcos vt rectos quis agat *oculos* cuſtodiat. 114

Oculi

Oculi palpebris non ſecus, ac Virgines thalamo coërceantur. 113
Cordis ianitor *oculus* noxia excludere debet. 111
Quinam *oculus* diaboli ianitor dicatur. 111
Oculus licet exiguus ingentia tamen mala poteſt parturire niſi cuſtodiatur. 112
Oculi fornicationum filij, & peccati proxenetæ. 111
Ad *oculorum* cuſtodiam vt nos natura vocauerit. 112
Pleriſque *oculi* retia ſunt. 114
Oculus in pupillam anguſtatur quatenus moderatè viſum videat. 110
Peccatorum feneſtræ, imò & magnes *oculi*. 110
Oculis Deo ſeruire debemus, non diabolo. 121
Oculi vt Virgines cuſtodiendi. 113

Odor, Odorari.

Bonum virtutis *odorem* quilibet emittat. 142
Alienæ virtutis *odorem* ſentire qui vult, ſe à vitiorum ſuorum immunditijs purget. 139
Paradiſi deliciæ hîc *odorandæ*. 140

Officere.

Viſcera noſtra clamant ne vlli *officiamus*. 227

Onus.

Vnus alteri *oneri* ne ſit, membra ipſa docent. 43

Cc *Ope.*

Operatio, Operari, Opus.
Ad *operationem* ſe natum, ex ſuis membris diſcere homo poteſt. 34
Manus hominem monet, vt cum ratione, & ſapienter omnia *operetur*. 190
Cor intus deliteſcens ſolum Deum ſpectare interiora *opera* docet. 205
A quinque *ſenſibus* bonorum operum fæcunditas. 79
Bonorum *operũ* harmonia cõmendata. 24
Animæ noſtræ exemplo multa edere *opera* debemus. 54
Lingua, quæ in motu non fatigatur nos docet, ne in bonis *operibus* laſſitudine nos ſinamus corripi. 164
Ad *operandum* ſe natum homo indicat, dum rectus apparet. 17
Opes.
Terrenarum *opum* rectum vſum vt corporis membra doceant. 38
Os.
Anima intra *os* velut pudica virgo ſe contineat. 147
Os oſtium refert, quod opportunè claudi, & aperiri debet. 145
In *oris* paruitate parſimonia commendata. 145
Rationis claue *os* claudendum, & aperiendum. 148
Serpenti par, qui vim ſuam *ore* prodit. 145
Halitus, qui vt fumus ex *ore* egreditur, incendij, & periculi latentis nos admonet. 148

Quaſi porta caſtri *os* cuſtodiendum. 146
Oris ſermone ratione ſe præditum homo indicet. 144
Vix homo dicendus, qui venenum ex *ore* euomit.
Saniem ex *ore* emittunt, qui impura loquuntur verba. 149
Os hominis, quanti Deus fecerit. 146
Tanquam res ſacra *os* tractandum. 147
Otium.
Ab *otio*, & ignauia nos membra noſtra auocant. 42

P

Palatum.
P*alati* in dijudicandis ſaporibus natura nos docet, quî aliena reſpicienda, & iudicanda. 180
Palpebra.
Palpebrarum pili tanquam hominis magiſtri hominem docent, vt cæleſtia contempletur. 129
Palpebrarum pili inſigne obedientiæ, & temperantiæ exemplum. 128
Papilla.
Papillarum locus expenditur. 188
Paradiſus.
Paradiſi deliciæ hic odorandæ. 140
Parſimonia.
In oris paruitate *parſimonia* cõmendata. 145
Pars.
Interiores hominis *partes* ad interioris hominis curam nos vocant. 226

Pax.

Vnitas, & *pax*, animæ, & corporis nexu commendatur. 65

Pax, & concordia ex interno affectu prodeat. 23

Peccatum.

Peccati fœtorem peccator non ſentit, ſicut nec ille, cui ſpiritus malè olet. 149

Aliena *peccata* quodam charitatis calore concoquenda, & dirigenda. 229

Terrenæ cogitationes, & leuia *peccata* horrendum monſtrum vt forment. 96

Pectus.

Tundendum *pectus* in pœnitentiæ ſignum. 185

In *pectoris* tunſione iudicis actus notatus. 185

In ſpiritali pugna *pectus* tamquam tympanum tundimus, & pulſamus. 186

Pectus ſepulchri formam referens ad mortis cogitationem nos vocat. 186

Pectoris latitudo, & rectitudo quid hominem moneat. 185

Intra *pectus* ſpirituale domicilium cuique condendum. 187

Caput in *pectus*, ventremque nemo inclinet. 187

Pecus.

In *pecudum* cenſu ſe locat, qui terrena tantùm ſpectat. 107

Pelagus.

Corpora naues quædam, quibus huius mundi *pelagus* enauigamus. 7

Periculum.

Nocendi *periculum* vt in oculis Deus coercuerit. 124

Pes.

Pedum ſtructura docet vt faciles per humilitatem deſcendamus, aſcendamus animi magnitudine. 234

Duo non quatuor *pedes* homini dati, ne terrenis incubaret, ſed in cœlum euolaret. 235

Pedes in oratione cur fideles attollerent; deſiderij pennis anima in ſublimia eleuanda. 235

Pedum greſſibus ſanctitas quædam affricari vt poſſit. 235

Alas ad *pedes* Dei ſerui habere debent. 235

Pedum numerus ad Dei, proximiq́; amorem vrget. 236

Duobus *pedibus* bene incedit, qui deſiderio æternorum, & mundi faſtidio velut duobus pedibus ambulat. 236

Vita & doctrina duo præſulibus *pedes* neceſſarij. 237

Pes, qui viliorem locum tenet, nullum deſpiciendum docet. 233

Terra ſummo *pede* attingenda, terrena calcanda. 238

Eò *pedes* caput non deferant, vbi erubeſcere poſſit. 238

A *pedibus* diſcamus in Dei obſequio nobiſcum alios ferre. 237

Pilus.

Pilorum, & prudentiæ nexus. 182

Oculorum *pili* clamant nihil adeò minimum eſſe vt ſit contemnendum. 127

Pili in viris præſtant, quod partus dolores in fœminis. 182

Pili, qui malas veſtiunt, à ludis puerilibus nos auocant. 182

Planta.

Homo, *planta* cæleſtis, cælo dignos fructus producere debet. 7

Plectrum.

Lingua velut *plectrum* modulatè ſonet. 165

Pluma.

Canitie tamquam *pluma* vtamur vt in cœleſtia euolemus. 103

Pondus.

Linguæ horologium prudentiæ *ponderibus* non careat. 167

Porta.

Quaſi *porta* caſtri os cuſtodiendum. 146

Poſſeſſio.

Aures ſpinis ſepiendæ, vt tota mentis *poſſeſſio* cuſtodiatur. 133

Præceptum.

Ad Diuinorum *præceptorum* obſeruantiam à ſuis membris vt homo vocetur. 41

Prædicator.

Prædicatores vt muneri reſpondeant ſuo ſtomachum referre debent. 229

Præferri.

Rebus omnibus *præferri* anima debet. 55

Prælatus.

Prælati eſt noxias, & ſuperfluas curas velut fumum euomere. 93

Præſes.

Præſides, qui Eccleſiæ oculi, virtutum radijs ſplendeant. 106

Præſul.

Ex oculis doctor, & *Præſul* diſcat, crucem, & Crucifixum diligere. 125

Præſules vt aliorum conſulant ſaluti, conſulant & ſuæ. 108

Præſul longi temporis ſpatio ne fiat ſubditis terribilis. 128

Princeps.

Princeps, ac ſuperior debilioribus magis ſuccurrat cordis exemplo. 219

Principum, qui reipublicæ faciem referunt, fædior apparet culpa, ſi peccent. 90

Profanare.

Membrorum ſanctimonia haud *profananda.* 40

Proximus.

Tunc præcipuè *proximus* amandus, cùm nos non amat. 37

In ſuis membris quilibet legit, quid præſtare in *proximum* ſuum debeat. 36

In *proximi* lapſu proximo condolendum. 46

Ab oculis ſuis quiſque diſcat *proximum* ſuum iuuare. 105

Promptus.

Prompti ad benefaciendum Dei exemplo ſimus. 197

Propinquus.

Propinquorum amor cum Chriſti, & cœleſtium amore non cohæret. 122

Proſperitas.

Splen vt doceat mundanam *proſperitatem* æternæ eſſe mœſtitiæ parentem. 232

Proxeneta.

Oculi fornicationum filij, & peccati *proxenetæ*. 111

Oculi amicitiæ corporalis *proxenetæ*. 121

Prudentia.

Lingua extra *prudentiæ* regulas ſordes contrahit. 165

Pudicitia.

Deformitas *pudicitiæ* cuſtos. 32

Pudicitiæ ſulcos vt rectos quis agat oculos cuſtodiat. 114

Pudor.

Pudoris propugnaculum manus. 193

Pulchritudo.

Pulchritudo ſine virtutibus præcipitium, & venenum. 30

Laqueus incautè viſa *pulchritudo*. 32

Oculorum *pulchritudo*, & vſus. 104

Pulchritudo mediocritatem vt doceat. 31

In naſi formatione & vtilitati, & *pulchritudini* conſultum. 139

In corporis *pulchritudine* minimè ſiſtatur, tranſitus per eam ad internam fiat. 29

Corporis deformitas animæ *pulchritudini* nihil officit. 33

Formæ noſtræ *pulchritudo* Deum fatetur artificem. 28

Facies compendium *pulchritudinis*. 86

A noxio *pulchritudinis* amore nos *naſus* auocat. 143

Pulmo.

Pulmonis officium iram, & indignationem mitigandam docet. 218

Puluis.

Perſtricti, qui *puluerem* à corporis oculis amouent, & mentis oculum criminum luto obruunt. 115

Pupilla.

Pupillæ Virgines eſſe debent. 114

Purpura.

Pro *purpura* virtute amiciri homo ſtudeat. 19

Q

Quæſtio.

QVæſtiones vitandæ, quæ auditorum captum fugiunt. 175

Querela.

Venter ferendas ſuperioribus *querelas*, & obtrectationes pro ſui laboris mercede doceat. 225

Quietus.

In audiendo firmi, & *quieti* debemus eſſe. 137

R

Rapina.

AB alienorum *rapina* nos caro noſtra vt auocet. 73

Ratio.

Senſus quaſi equi *rationis* fræno regendi. 81

Oris ſermone *ratione* ſe præditum homo indicet. 144
Rationis claue os claudendum, & aperiendum. 148
Auditus *rationi* aptetur. 137

Receptaculum.

Diuinæ virtutis *receptaculum* homo eſt. 1

Recordari.

Dei aſſiduè debemus *recordari.* 141

Rectitudo.

A *rectitudine*, qua homo præditus, rectè loqui diſcat, ſermoneſque emittere, qui cælum ſapiant. 17
Corporis *rectitudo* cognationem cum ijs, qui in cælo degunt, hominem docet. 18
Rectitudo vt arte quæſita. Quî id opportunius præſtetur. 17

Religioſus.

Religioſi dentibus comparati. 155
Religioſorum magiſtri vt ſint dentes. 156

Remora.

Piſcem *remoram* lingua repræſentat. 166

Reſpublica.

Ijs, qui in *Republica* caput referunt quid præſtandum. 94

Reſurrectio.

Dentes futuræ *reſurrectionis* vt nos moneant. 153

Rete.

Pleriſque oculi *retia* ſunt. 114

Rex.

Rex ſui fit, qui ſcrutatur ſe. 2

Rigor.

Vitæ ſpiritualis perſeuerantia ex *rigore*, & benignitate. 216

Rotundus.

Rotunda, & teres digitorum forma nos docet, vt malos feramus potius quàm feriamus. 198

Rubor.

Manu opus non præſtandum, quod *ruborem* nobis inijciat. 193

S

Sacerdos.

Cor ſanguinis fons licet ferè exangue à conſanguineorum affectu *ſacerdotes* præcipuè auocat. 213
Cor nullum vitium patitur graue; res ad *ſacerdotes* transfertur. 214

Salus.

In aliorum *ſalutem* periculo ſe exponere à ſuis membris fideles diſcant. 37
Præſules vt aliorum conſulant *ſaluti*, conſulant & ſuæ. 108

Sanies.

Saniem ex ore emittunt, qui impura loquuntur verba. 149

Sanus.

Non ex toto *ſani*, qui ex toto non ſibi imperant; nec totos ſe pietati dant. 59

Sapientia.

Vera *ſapientia* intus ſapere, non foris. 2
Interior cordis homo totus *ſapiētiæ*, & gratiæ ſit. 41

Satanas.

Erectum hominis ſtatum conuellere *Satanas* ſtudet. 16

Sauciari.

Caro docet in noſtra poteſtate eſſe, vt *sauciemur* non vt curemur. 76

Scala.

Corporis venuſtate vt *ſcala* vtamur, qua ad Deum aſcendamus. 29

Corpore vti debemus tanquam *ſcala*. 8

Scandalum.

Nullus aliũ decipiat, *ſcandalo* alijs ne ſit. 44

Schola.

Corpus virtutum *ſchola*. 13

Scientia.

Nulla melior *ſcientia*, quàm illa, qua cognoſcit homo ſe ipſum. 34

Scriptura Sacra.

Diuina *Scriptura* hominem homini perfectè obijcit, ſpeculi vicem ſubiens. 118

Scrutari.

Rex ſui fit, qui *ſcrutatur* ſe. 2

Perſtricti, qui curioſè Cælos *ſcrutantur*, ſe negligunt. 2

Senectus, Senex.

Senectutis vitia ægrè ſanari. 239

In hominis *ſenectute* oculos aliquo morbo ferè infeſtari quid clamet. 130

Senibus, & maioribus quædã ſimulada. 138

Senſus.

A *ſenſibus* quiſque diſcat aliorum miniſteria non impedire, nec aliorum inuadere iura. 81

Beatorum mens vna, idemque *ſenſus*. 105

Senſuum vſu in Cælum ſicut aues volare debemus. 81

Senſus quaſi equi rationis fræno regẽdi. 81

A quinque *ſenſibus* bonorum operum fæcunditas. 79

Doloribus *ſenſus* tactus ſæuities Diuina Prouidentia coercita. 83

Homo in hoc Angelis prælatus, quòd multa organa meritorũ habet, plures *ſenſus*. 79

Senſus tactus rabie laborans coercendus. 82

Quinque *ſenſuum* cuſtodia quàm neceſſaria. 80

Ex *ſenſibus* virtutum integritas, vt collecta. 80

Separari.

A Chriſti corpore *ſeparari* quiſq; timeat. 38

Sermo.

Aurium templa ſanctis *ſermonibus* excipiendis. 133

Oris *ſermone* ratione ſe præditum homo indicet. 144

Sermo leuiter volat, ſed grauiter vulnerat, & violat charitatem. 169

Sermo cum ratione iungendus. 170

Inanibus *ſermonibus*, & detractionibus *aures* occludendæ. 134

Homo vallum dentium habet ad coercendos leues *ſermones*. 152

Sermo inſtar nauis dirigendus, ne transfretrans naufragium faciat. 176

Secunda vt *ſermonis* ſit nauigatio, oratio præmittatur. 176

Serpens.
Serpenti par, qui vim ſuam ore prodit. 145
Simulare.
Senibus, & maioribus quædam *ſimulanda*. 138
Speculum.
Vultus loquax, & animæ *ſpeculum*. 85
Spiculum.
In vultu *ſpicula* quinam habeat. 88
Spirare.
Nihil Dei ſeruus *ſpiret*, quod Deum non ſapiat. 150
Spiritus.
Carnis eſt *ſpiritui* obtemperare. 72
Splen.
Splen vt doceat mundanam proſperitatem æternæ eſſe mœſtitiæ parentem. 232
Studere.
Erectum hominis ſtatum conuellere Satanas *ſtudet*. 15
Stomachus.
Prædicatores vt muneri reſpondeant ſuo *ſtomachum* referre debent. 229
Anima à *ſtomacho* diſcat cibum ſuum non ſtatim reijcere. 228
Superior, & princeps *ſtomachum* vt referant. 227
Stomachus aliorum membrorum rex. 227
Structura.
In oculi *ſtructura* Dei ſapientia admiranda. 123
Stuprum.
Stuprum guſtui minimè inferendum. 180

Superbia.
Superbiæ remedium vt in corpore ſuo quilibet habeat. 9
Exigua corporis menſura *ſuperbiæ* tumori reprimendo. 22
Superior.
Subditis ſe *ſuperiores* demittant, vt caput cæteris membris. 95
Superiores quales erga ſubditos, quales erga ſuperiores ſubditi eſſe debeant, caput, & membra docent. 94
A corde princeps, & *ſuperior* diſcat, etiam aliorum cauſa vitia vitare. 213
Superior, & princeps ſtomachum vt referant. 227
Princeps, ac *ſuperior* debilioribus magis ſuccurrat cordis exemplo. 219
Superior tanquam cor virtutis ſpiritum hominibus communicet. 207
Noxia nimia *ſuperiorum* conniuentia eſt. 138
Superiorum delicta nocentiora, quam aliorum. 50
Oculos vt *ſuperiores* referant quid ſuperioribus præſtandum. 129
Superior licet aſperè corripiat mollis intus ſit. 95
Superiores ſubditorum miniſterio indigent. 219
Ægrè *ſuperior* ad bonum alios moueat, niſi & ille moueat ſe. 217
Superior ab omni imprudenti affectu ſit immunis. 207

Surſum.
Surſum cor ſit, ne putreſcat. 202
Symmetria.
Membrorum *ſymmetria*, & proportio ad concordiam nos vocat. 23

T

Tactus.
SEnſus *tactus* rabie laborans coercendus. 82
Doloribus ſenſus *tactus* ſæuities Diuina Prouidentia coercita. 83
Diabolus per guſtum, & *tactum* cur homines maximè impetat. 82
Tactui humilitas compoſita. 84
Temperantia.
Poſt traiectum cibum cibos non diſcriminari ad *temperantiam* nos vrget. 179
Temporale.
Nemo ſe ignoret *temporalibus* rebus affixus. 5
Tenacitas.
Tenacitatem, & auaritiam cor ſuo motu damnat. 217
Tepiditas.
Tepiditas cauenda. 174
Terrena.
Terrena haud depereat anima, ne pereat. 51
Hominum leuitas, qui pro rerum *terrenarum* cepe animam vendunt. 61
Dœmonis extatici, qui *terrenis* occupantur, ſui obliti. 3

In pecudum cenſu ſe locat, qui *terrena* tantùm ſpectat. 107
Terribilis.
Præſul longi temporis ſpatio, ne fiat ſubditis *terribilis*. 128
Theſaurus.
Theſaurus ex agro humani corporis effodiendus. 34
Thronus.
Cor in hominis medio Deus locauit, vt *thronum* ſuum illud conſtitueret. 205
Timor.
Dei *timor* in ſpirituali vita pugnat. 209
Titillatio.
Voluptates corporis axillarum *titillationi* cur comparatæ. 84
Trinitas.
Solius *Trinitatis* eſt hominis cor replere. 207

V

Vagari.
DEi Patris exemplo à nobis non recedamus, nec extra *vagemur*. 3
Velamen.
Per carnis *velamen* ſuperi luminis radij excipiendi. 75
Vena.
Tamquam per *venas*, & arterias vitam æternam per verbum facit ad omnes Deus venire. 231
Beneficentiæ, & liberalitatis imago in *venis*, & arterijs, latentibuſq; partibus. 230

Venarum exemplo vtilium monitorũ ſanguinem omnibus exigamus. 231

Venenum.

Vix homo dicendus, qui *venenum* ex ore euomit. 144

Venter.

Caput in pectus, *ventremque* nemo inclinet. 187

In calamitatum hyeme feruore charitatis æſtuare *ventris* exemplo debemus. 224

Perſtricti qui *ventrem* pro Deo habent. 222

Nemo cor voracitatis ſtudio in *ventre* habeat. 206

Venter færendas ſuperioribus querelas, & obtrectationes pro ſui laboris mercede doceat. 225

Venter vacuus cibum quęrens animam monet vt de ſuo ſit ſollicita. 223

In *ventris* munere liberalitatis munificentiæ exemplum. 223

Ventris ſaturitate libidinis tela timenda. 222

Venter ſepulchri formam referens mortis memoriam excitat. 222

Venter ignauiæ torporis iniuria inſimulatus. 224

Ab laborem vt ſuperiores *venter* inuitet, & vrgeat. 225

A ferculorum præcioſorum lautitijs nos *venter* vt auocet. 221

Venuſtas.

Animi *venuſtas* quærenda. 30

Verecundia.

In vultu poſita ad munimen *verecundia*. 88

Optimus ornandæ faciei color pudor, & *verecundia*. 87

Vultus in *verecundiæ* fabrica fabricandi. 88

Splendida *verecundiæ* gemma. 88

Veritas.

Veritas ægrè cruda digeri poteſt. 228

Veritas, & dilectio animæ vita. 56

Veſtigium.

Corporis membra Dei ſymbola, & Diuinitatis *veſtigia*. 42

Veſtis.

Regia dignitas à nuditate potiùs, quàm à *veſtibus*. 20

Veſtes non inuidit natura homini, ſed negauit vt eſſet liberior. 21

Victima.

Accepta Deo *victima* manus. 192

Videre.

Perſtricti, qui aliena acutè *vident* ſuorum mores ignorant, & negligunt. 119

Vilitas.

Circa propriam *vilitatem* occupari, quàm ſit vtile. 14

Nullius *vilitatem*, infirmitatemque negligendam venter docet. 221

Nullius *vilitatem* contemnendam anima docet. 63

Vindicta.

A mutua *vindicta* nos membra noſtra auocant. 39

Iniurijs affectus de *vindicta* non cogitet. 49

Vir.

Firmior in viro corporis conſtitutio quid *virum* doceat. 11

Virgo.

Oculi vt *Virgines* cuſtodiendi. 113

Pupillæ *Virgines* eſſe debent. 114

Oculi palpebris non ſecus ac *Virgines* thalamo coerceantur. 113

Anima intra os velut pudica *virgo* ſe contineat. 147

Virtus.

Pulchritudo ſine *virtutibus* præcipitium, & venenum. 30

Aptæ mulierum comæ ſpiritualium acta *virtutum*. 101

Virtutis decor; virtutis color. 31

Virtutibus ſuppleatur, quidquid *corpori* deeſt. 28

Alienæ *virtutis* odorem ſentire qui vult, ſe à vitiorum ſuorum immunditijs purget. 139

Bonum *virtutis* odorem quilibet emittat. 142

Pro purpura *virtute* amiciri homo ſtudeat. 19

Præſides, qui Eccleſiæ oculi *virtutum* radijs ſplendeant. 106

Anima corpus viuificat; *virtus*, & ſcientia animam. 56

Nulla *virtus* negligenda. 31

Corpus *virtutum* ſchola. 11

Ex

Ex ſenſibus virtutum integritas vt collecta. 80

Viſcera.

Viſcera noſtra clamant ne vlli officiamus. 227

Viſus.

Ne mentis *viſum* amittamus per vias incedamus, quas morum *nix*, & candor operit. 125

Oculus in pupillam anguſtatur quatenus moderate *viſum* videat. 110

Vita.

Dei timor in ſpirituali *vita* pugnat. 209

Ad *vitæ* littus, terminumque perueniſſe ſe cogitet, qui caniciei ſpumam in ſe videt. 102

Cor internorũ actuum in ſpiritali *vita* præcipuam habendam rationem docet. 208

Vitæ ſpiritualis perſeuerantia ex rigore, & benignitate. 215

Vitium.

Quàm amentes qui ex animo, animæque ſacrario diuinitatem expellit, & fæda *vitia* reponit. 60

Quanti referat ab omni *vitiorum* tumultu liberum habere cor. 212

Viuere.

Caro vt ſecundum animam *viuat*, viuat anima ſecundùm Deum. 78

Vnitas.

Animæ *vnitas* vnicè cuſtodiendã docet. 52

In oculis perfecta *vnitatis* forma. 105

Capilli æqualitatem, & *vnitatem* ſeruandam

dam

dam indicant, dum tondentur. 98

Voluntas.

Voluntas niſi priuatum amorem exuat recta in Deum ferri nequit. 124

Voluptas.

Voluptates corporis axillarum titillatione cur comparatus. 84

Terrenarũ *voluptatum* aquis, nec ex parte mergatur, qui rectus videri vult. 126

Gulæ *voluptatem*, quæ mala ſequantur. 178

Gulæ *voluptas* in curſu, & tranſitu. 178

Vox.

Vocis varietas docet, ne firmior quàm par ſit in ſuis ſenſibus homo ſit. 174

Vox vultum quendam vt habeat. 173

Vox, quæ dum nimis contenditur obtunditur, docet, ne quis nimium ſe efferat. 173

Quemlibet *vox* docet vt ſe ſe omnibus aptet, & accommodet. 174

Vox interior ingrata, & noxia; ſic & quæſtiones, quę auditorum captum ſuperant nocent. 175

Mollior *vox* damnata, damnati molliores mores. 175

Vox vt à mendacio nos auocet. 175

Vocis formatio nullas iniurias, contumelias nullas timendas clamat. 175

Vſura.

Vſura in commercijs ſpiritualibus laudabilis. 78

Vultus.

Difficilem eſſe ſui cognitionem *vultus* monet. 90

Modeſti *vultus* vis. 89

Vultus varia mutatio inconſtantiæ ſuæ hominem monet. 89

In *vultu* poſita munimen ad verecundia. 88

In *vultu* ſpicula quinam habeat. 88

Virtutus character *vultus*. 89

Vultus loquax, & animæ ſpeculum. 85

Finis indicis rerum præcipuarum.

005672394